English School-Classics

EDITED BY FRANCIS STORR, B.A.,

CHIEF MASTER OF MODERN SUBJECTS IN MERCHANT TAYLORS' SCHOOL, LATE SCHOLAR OF TRINITY COLLEGE, CAMBRIDGE.

Small 8vo.

THOMSON'S SEASONS: Winter.
With an Introduction to the Series. By the Rev. J. FRANCK BRIGHT, M.A., Fellow of University College, Oxford. *1s.*

COWPER'S TASK.
By FRANCIS STORR, B.A., Chief Master of Modern Subjects at Merchant Taylors' School. *2s.*
Part I. (Book I.—The Sofa; Book II.—The Timepiece) *9d.* Part II. (Book III.—The Garden; Book IV.—The Winter Evening) *9d.* Part III. (Book V.—The Winter Morning Walk; Book VI.—The Winter Walk at Noon) *9d.*

SCOTT'S LAY OF THE LAST MINSTREL.
By J. SURTEES PHILLPOTTS, M.A., Head-Master of Bedford Grammar School. *2s. 6d.*; or in Four Parts, *9d.* each.

SCOTT'S LADY OF THE LAKE.
By R. W. TAYLOR, M.A., Head-Master of Kelly College, Tavistock. *2s.*; or in Three Parts, *9d.* each.

NOTES TO SCOTT'S WAVERLEY.
By H. W. EVE, M.A., Head-Master of University College School, London. *1s.*; WAVERLEY AND NOTES, *2s. 6d.*

TWENTY OF BACON'S ESSAYS.
By FRANCIS STORR, B.A. *1s.*

SIMPLE POEMS.
By W. E. MULLINS, M.A., Assistant-Master at Marlborough College. *8d.*

SELECTIONS FROM WORDSWORTH'S POEMS.
By H. H. TURNER, B.A., Scholar of Trinity College, Cambridge. *1s.*

WORDSWORTH'S EXCURSION: The Wanderer.
By H. H. TURNER, B.A., Scholar of Trinity College, Cambridge. *1s.*

MILTON'S PARADISE LOST.
By FRANCIS STORR, B.A.
Book I. *9d.* Book II. *9d.*

MILTON'S L'ALLEGRO, IL PENSEROSO, AND LYCIDAS.
By EDWARD STORR, M.A., late Scholar of New College, Oxford. *1s.*

SELECTIONS FROM THE SPECTATOR.
By OSMUND AIRY, M.A., late Assistant-Master at Wellington College. *1s.*

BROWNE'S RELIGIO MEDICI.
By W. P. SMITH, M.A., Assistant-Master at Winchester College. *1s.*

GOLDSMITH'S TRAVELLER AND DESERTED VILLAGE.
By C. SANKEY, M.A., Assistant-Master at Marlborough College. *1s.*

EXTRACTS FROM GOLDSMITH'S VICAR OF WAKEFIELD.
By C. SANKEY, M.A., Assistant-Master at Marlborough College. *1s.*

POEMS SELECTED from the WORKS OF ROBERT BURNS.
By A. M. BELL, M.A., Balliol College, Oxford. *2s.*

MACAULAY'S ESSAYS:
MOORE'S LIFE OF BYRON. By FRANCIS STORR, B.A. *9d.*
BOSWELL'S LIFE OF JOHNSON. By FRANCIS STORR, B.A. *9d.*
HALLAM'S CONSTITUTIONAL HISTORY. By H. F. BOYD, late Scholar of Brasenose College, Oxford. *1s.*

SOUTHEY'S LIFE OF NELSON.
By W. E. MULLINS, M ... College.

Rivingtons: ... e.

[B—308]

Rivington's Mathematical Series

Small 8vo.

By J. HAMBLIN SMITH, M.A.,

OF GONVILLE AND CAIUS COLLEGE, AND LATE LECTURER AT ST. PETER'S COLLEGE, CAMBRIDGE.

Algebra. Part I. 3*s.* Without Answers, 2*s.* 6*d.* A KEY, 9*s.*

Exercises on Algebra. Part I. 2*s.* 6*d.*

[Copies may be had without the Answers.]

Elementary Trigonometry. 4*s.* 6*d.* A KEY, 7*s.* 6*d.*

Elementary Hydrostatics. 3*s.*

Elements of Geometry.

Containing Books 1 to 6, and portions of Books 11 and 12 of EUCLID, with Exercises and Notes. 3*s.* 6*d.*

Part I., containing Books 1 and 2 of EUCLID, may be had separately. *Limp cloth*, 1*s.* 6*d.*

Elementary Statics. 3*s.*

Arithmetic. 3*s.* 6*d.* A KEY, 9*s.*

Book of Enunciations

FOR HAMBLIN SMITH'S GEOMETRY, ALGEBRA, TRIGONOMETRY, STATICS, AND HYDROSTATICS. 1*s.*

By E. J. GROSS, M.A.,

FELLOW OF GONVILLE AND CAIUS COLLEGE, CAMBRIDGE, AND SECRETARY TO THE OXFORD AND CAMBRIDGE SCHOOLS EXAMINATION BOARD.

Crown 8vo.

Algebra. Part II. 8*s.* 6*d.*

Kinematics and Kinetics. 5*s.* 6*d.*

By G. RICHARDSON, M.A.,

ASSISTANT-MASTER AT WINCHESTER COLLEGE, AND LATE FELLOW OF ST. JOHN'S COLLEGE, CAMBRIDGE.

Crown 8vo.

Geometrical Conic Sections. 4*s.* 6*d.*

Rivingtons: London, Oxford, and Cambridge.


600096242T

EASY LATIN STORIES

FOR

BEGINNERS

[B—890]

EASY LATIN STORIES FOR BEGINNERS

With Vocabulary and Notes

BY

GEORGE L. BENNETT, M.A.

HEAD-MASTER OF THE HIGH SCHOOL, PLYMOUTH; FORMERLY ASSISTANT MASTER AT RUGBY SCHOOL; AND SCHOLAR OF ST. JOHN'S COLLEGE, CAMBRIDGE

NEW EDITION, REVISED

RIVINGTONS
WATERLOO PLACE, LONDON
Oxford and Cambridge
MDCCCLXXVIII

PREFACE.

THE aim of this book is to supply easy stories illustrating the elementary principles of the Simple and Compound sentence. Short selections from the *Public School Primer* (for permission to use which I am indebted to the Rev. Canon Kennedy) are printed at the head of the Notes to each Part: explanation of these is left to the master. The Geographical and Historical Notes are very brief, as they are intended for boys who are not likely to be acquainted with Ancient History. I am greatly indebted to my friend Mr. Arthur Sidgwick for most valuable and constant help, and for his kindness in revising the whole work. I have also to thank the Rev. F. D. Morice for corrections in the text, and Mr. J. S. Phillpotts, Head Master of Bedford School, for some most useful suggestions. Most of these stories are adapted from an old translation of Herodotus by Schweighaeuser.

G. L. B.

PREFACE TO SECOND EDITION.

AT the suggestion of some friends, I have in this Edition added an Alphabetical List of Proper Names, with the quantities marked. The Vocabulary has also been revised and added to, and some slight alterations have been made in the Text and Notes.

G. L. B.

June 1878.

CONTENTS.

PART I.

PART II.

PART III.

PART IV.

EASY LATIN STORIES FOR BEGINNERS.

PART I.

I.—THE STORY OF ARION.

Arion, after travelling abroad, hires a vessel to take him home.

1.—ARION citharista praeclarus erat. Is diu apud Periandrum Corinthiorum regem versatus erat. Tum in Italiam Siciliamque navigare cupivit. Ingentibus opibus ibi comparatis, Corinthum redire voluit. Itaque Tarento, urbe Italiae, profectus est; ibi navigium hominum Corinthiorum conduxerat.

The sailors form a plan to rob and murder him.

2.—Hi autem eum in mare proiicere constituerunt; pecunia enim potiri cupiebant. Tum vero Arion consilium intellexit. Tristis ad preces confugit. Pecunia omni nautis oblata, vitam deprecatus est. Nautae vero precibus viri non commoti, mortem ei statim minati sunt.

Arion sings a beautiful song, and leaps overboard.

3.—In has angustias redactus Arion, in puppi stetit, omni ornatu suo indutus. Tum unum e carminibus canere incepit. Nautae suavi carmine capti e puppi mediam in navem concesserunt. Ille omni ornatu indutus, capta cithara, carmen peregit. Cantu

peracto in mare se proiecit. Tum nautae Corinthum navigaverunt.

He is miraculously saved by a dolphin.

4.—Arion autem a delphine exceptus dorso Taenarum delatus est. Egressus in terram, Corinthum cum eodem habitu contendit. Ibi nautarum facta narravit. Periander autem ei credere noluit. Arion igitur in custodia ab eo retentus est.

The wicked sailors are detected and punished, and Arion is rewarded.

5.—Interim nautae Corinthum advenerunt. A Periandro interrogati sunt de Arione. Turpissime mentiti sunt omnes. Subito Arion apparuit cum eodem ornatu. Attoniti nautae scelus confitentur. A rege Periandro omnes interfecti sunt, et multum pecuniae Arioni datum est.

II.—THE HABITS OF THE MASSAGETAE.

6.—Utuntur Massagetae et vestimento et vitae ratione simili Scytharum. Ex equis pugnant; arcu et hastis utuntur. Ad omnia auro utuntur aut aere. Ad hastas, ad sagittarum cuspides aere utuntur; ad capitis ornatum, et ad lumborum cingula, auro. Argentum et ferrum in eorum terra non reperiuntur; sed aeris et auri est immensa copia. Senes interficiunt propinqui, et pecudes cum iis; cocta carne deinde epulantur. Terra autem condunt morbo mortuos. Sementem nullam faciunt: cibus eorum ex pecoribus, piscibus, lacte, constat. Deorum unum Solem colunt: huic equos immolant.

III.—BEASTS IN EGYPT AND LIBYA.

7.—In Aegypto paucae bestiae reperiuntur. Itaque omnes sacrae habentur. Feles canesque coluntur. Mortua fele in

quavis domo, omnes aedium illarum incolae supercilia sola radunt: mortuo cane, totum radunt corpus et caput. Mortuae feles in sacris sepulcris, Bubasti in oppido sepeliuntur. Canes mortuos in suo quisque oppido sepeliunt. Mures etiam, araneos, accipitres. ibes, ichneumones, colunt.

The hippopotamus.

8.—Hippopotami a nonnullis Aegyptiis sacri habentur; ab reliquis vero non sacri. Horum natura atque species talis est. Quadrupes animal, bisulcum, ungulis bovinis, simo naso, iuba equina, dentibus prominentibus, cauda et voce equina: magnitudine tauris sunt similes.

The phoenix.

9.—Est etiam avis sacra, nomine phoenix. Perraro Aegyptum adit, ex quingentorum annorum intervallo. Advenit autem mortuo patre suo. Est tantus atque talis; pennarum color, aliorum aureus, aliorum ruber; specie et magnitudine aquilae simillimus est. Phoenix ex Arabia profectus, in Solis templum portat patrem suum, myrrha circumlitum, et in templo Solis sepelit.

The winged serpents and the ibis.

10.—Ineunte vere in Aegyptum advolant volucres serpentes. Ibides autem aves illis occurrentes, aditu prohibent, necantque serpentes. Ob hanc caussam magni aestimantur ibides ab Aegyptiis. Species autem ibidis talis est; colore nigro avis est, pedibus gruis, rostro adunco. Serpentum forma similis est formae hydrarum. Alas habent non pennatas, sed vespertilionis alis similes.

Wonderful animals in Libya.

11.—Sunt in Libya immani magnitudine serpentes, sunt ibidem leones, et elephanti, et ursi, et aspides, et asini cornuti. Sunt

etiam homines capita canum habentes. Sunt alii sine capitibus, oculos in pectore habentes, et feri homines. Sunt etiam mures bipedes, et parvi serpentes singulis cornibus instructi. Denique magnus numerus mirarum bestiarum in his regionibus invenitur.

The crocodile.

12.—Crocodili autem natura haec est. Per quinque menses hibernos cibum nullum capit. Quadrupes est terram pariter et aquam habitans : ova enim parit excluditque in terra, et maiorem partem diei in sicco versatur, noctu vero in fluvio : est enim aqua noctu magis calida quam terra rore conspersa. Omnium vero animalium hoc ex minimo fit maximum. Ova enim haud multo maiora sunt ovis anseris : at pervenit ad septemdecim cubitorum longitudinem. Habet autem oculos porci, dentes vero magnos. Solum ex omnibus animalibus linguam non habet : neque inferiorem maxillam movet. Habet autem ungues robustos, et cutem squamatam. In aqua quidem caecus est, in aere bene videt. Os habet intus plenum hirudinibus. Iam aliae quidem aves et bestiae illum fugiunt : cum trochilo autem pacem colit. Hic utilem ei operam praestat : nam in os eius sese insinuans hirudines devorat.

Strange pets.

13.—Sunt autem crocodili aliis Aegyptiis sacri ; aliis non item, sed hi illos ut hostes persequuntur. Omnes circa Thebas et Moeridis lacum incolae sacros illos ducunt. Horum utrique unum maxime crocodilum alunt, manu tractari edoctum. Auribus inaures inserunt, et anteriores pedes aureis armillis ornant. Eundem pascunt : mortuum sacro in sepulcro sepeliunt.

IV.—A NEGRO REGIMENT.

14.—Aethiopes, pardorum leonumque pellibus amicti, arcus habent praelongos : sagittas vero breves : his pro ferro lapides acuti

praefixi sunt. Hastas praeterea habent, his praefixa sunt cornua cervorum: habent etiam clavas nodosas. Corporis dimidium, in pugnam prodeuntes, creta dealbatum habent, dimidium minio pictum. Alii caput tectum habent pelle equina, de capite equi detracta, cum auribus et iuba. Pro scutis gruum pellibus corpora tegunt.

V.—THE EQUIPMENT OF PERSIAN SOLDIERS

15.—Persae hoc modo instructi sunt. In capite pileos gestant; hos tiaras vocant: circa corpus, tunicas manicatas varii coloris, et loricas ferreis squamis in piscium similitudinem: circa crura, braccas: pro clipeis vero, crates vimineas. A tergo suspensas habent pharetras: hastae breves sunt, arcus vero grandes, tela ex arundine: praeterea ad dextrum femur e zona suspensus est pugio.

VI.—THE STORY OF ATYS.

Croesus has a bad dream about his son Atys.

16.—Croeso, Lydiae regi, filius erat, nomine Atys. Hunc Croesus in somnio vidit, ferrea cuspide traiectum et cruore conspersum. Expergefactus ille, domi filium retinet; deinde iacula et hastas abdit in arca.

He purifies a man who comes to him stained with crime.

17.—Interim Sardes vir advenit obstrictus scelere. Eum Croesus expiavit, et benigne accepit. Tum eum percontatur his verbis: 'Quis es? quem virum occidisti?'

The stranger tells his story—Croesus receives him as a friend.

18.—Respondit hospes talia: 'O rex, Gordiae sum filius, est autem mihi nomen Adrasto. Fratrem meum invitus occidi. Adsum a patre eiectus, rebus omnibus destitutus.' Tum Croesus inquit: 'Ex viris amicis oriundus es, et ad amicos venisti.' Ita ille in Croesi aedibus vitam agebat.

A huge wild boar ravages the country.

19.—Per idem tempus in monte Olympo aper exstitit mira magnitudine. Hic Mysorum arva vastabat.

The people beg Croesus to send his son to kill it.

20.—Mysorum legati ad Croesum venere haec dicentes: 'Apparuit, o rex, in regione nostra immanis magnitudinis aper. Hic agrestia opera omnia corrumpit. Mitte filium tuum et delectos iuvenes canesque; nam beluam e terra nostra tollere volumus.'

Croesus refuses.

21.—Haec illis precantibus Croesus, somnium recordatus, ita respondit: 'Filii quidem mei ne amplius feceritis mentionem. Non enim illum vobiscum emittere possum. Lydorum autem delectam manum canesque mittam.'

Atys implores his father to let him go.

22.—Auditis Mysorum precibus intervenit Atys. Patrem movere his verbis conatur: 'Antehac, o pater, hoc mihi honestissimum et nobilissimum visum fuit, bello et venatione gloriam parare. Ne igitur me domi retinueris. Quis tandem esse videbor civibus? Qualis videbor uxori?'

Croesus gives his reasons for refusing.

23.—Itaque Croesus talia respondit: 'Mi fili, in somnio nuper te cuspide ferrea interfectum vidi. Ob hanc caussam domi te custodio.'

Atys urges him to let him go, and gives an explanation of the dream.

24.—Rursus adolescens ita locutus est: 'Ferrea cuspide me traiectum vidisti. At apro quaenam sunt manus, quaeve ferrea cuspis? Nihil dictum est de iniuria a dentibus suscepta. Quare abire me patere, mi pater.'

Croesus at length gives way.

25.—Tum Croesus: 'Fili,' ait, 'me vincis, sententiam somnii declarans. Itaque veniam tibi do venatum exeundi.'

And gives him in charge to Adrastus.

26.—His dictis, Adrastum advocatum ita allocutus est: 'Adraste, ego te calamitate obstrictum expiavi, et in meas aedes recepi. Nunc ergo, debes enim de me bene mereri, custos sis filii mei venatum exeuntis.' Respondit Adrastus: 'Paratus sum exsequi mandatum. Filius tuus, o rex, custode me, incolumis redibit.'

Adrastus kills Atys by accident, and fulfils the dream.

27.—Proficiscuntur igitur cum delectis iuvenibus canibusque. Beluam inventam iaculis adoriuntur. Casu Adrastus Croesi filium ferit. Itaque ille, cuspide ictus, somnii monitum explet.

Croesus pardons him, but he commits suicide.

28.—Croesus, filii morte nuntiata, consternatus est. Adrastus sese tradidit Croeso. 'Interfice me,' dixit, 'super cadavere filii.'

Illi Croesus: 'Ignosco tibi, Adraste. Illud invitus fecisti. Non tu auctor es huius mali, sed deorum aliquis. Hoc mihi somnium iam pridem significavit.' Adrastus autem se ipse super busto iugulavit. Croesus vero, filio orbatus, duos annos ingenti in luctu remansit.

VII.—A CROCODILE HUNT.

29.—Venatio crocodilorum multis atque variis modis instituitur. Suis tergus, pro esca hamo insertum, in medium flumen demittit venator. Ipse in ripa fluminis vivum porcellum ferit. Crocodilus, audita voce, ad sonum accurrit. In tergus vero suis incidens, illud deglutit, moxque in terram attrahitur. In terra extracti crocodili oculos luto oblinit venator. Tum facillime interficitur.

VIII.—ARTAYCTES.

Deceit and sacrilege.

30.—Sesto olim praeerat Artayctes Persa. Hic Xerxem Athenas contendentem deceperat, Elaeunti clam ablatis Protesilai thesauris. Xerxem autem deceperat his verbis usus: 'O rex, hic habitavit Graecus quidam. Is olim in regnum tuum expeditionem faciens interfectus est. Nunc mihi da, oro, huius divitias: ita enim omnes in te expeditionem facere nunquam postea audebunt.' Itaque Xerxes deceptus, Protesilai domum Artaycti tradidit. Hic vero omnia Elaeunti ablata Sestum secum portavit.

Vengeance overtakes him.

31.—Postea vero Artaycten ex improviso adorti Athenienses, Sestum diu obsederunt. Persae tandem intra moenia ad angustias redacti, funibus lectulorum vesci coacti sunt. His consumptis, Artayctes noctu cum filio in fugam se recepit. Mox tamen

ab Atheniensibus captus, in vinculis Sestum iterum ductus est.

A strange story.

32.—Dicitur tale prodigium accidisse uni e custodibus, pisces sale conditos coquenti. Pisces in igne iacentes insilire inceperunt quasi nuperrime capti. Obstupuerunt omnes: sed Artayctes, viso prodigio, homini dixit: 'Hospes Atheniensis, ne hoc prodigium veritus sis, non enim tibi oblatum est. Hoc ad me pertinet. Protesilaus ipse in his piscibus est: mihi etiam dixit: "Te, o Artaycta, punire possum ob ablatas divitias." Nunc igitur ei divitias restituere volo: pro pecuniis e templo Protesilai sublatis, centum talenta dabo: pro me et filiis meis ducenta talenta Atheniensibus solvam.'

The fate of Artayctes.

33.—Ne hoc quidem modo Xanthippo, Atheniensium duci, suadere potuit: instabant enim Elaeuntini dicentes: 'Interficito Artaycten;' et interficere eum volebat ipse Xanthippus. Itaque cruci alligatum sublimem extulere; et filius eius ante oculos lapidibus oppressus periit. Tali modo Protesilai dirae ultrices Artaycten punierunt.

IX.—ANECDOTES.

Contempt of pain.

34.—Pueri Spartani non gemunt flagellis lacerati. Adolescentes Spartae decertant manibus, pedibus, unguibus, dentibus denique, maluntque interfici, quam vinci. Puer etiam Spartanus dicitur in sinu vestis vulpem celasse, et bestiae dentibus necatus esse, nec gemitum edidisse: praeclarum enim apud Spartanos

habebatur aliquid clam abstrahere; deprehendi vero, turpissimum.

The trial of Sophocles.

35.—Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit: videbatur autem rem familiarem negligere propter studium. Itaque a filiis in ius vocatus est. Hi iudices orabant his verbis: 'Patrem desipientem a re familiari removete.' Tum senex dicitur tragoediam illam praeclaram, Oedipum Coloneum, recitasse iudicibus, et quaesisse, 'Num hoc carmen desipientis videtur?' Hoc recitato, sententiis iudicum est liberatus.

Respect paid to age.

36.—Lysander Lacedaemonius hoc dixisse dicitur; 'Lacedaemone optime vivere possunt senes.' Nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior. Athenis olim, ludis institutis, quidam in theatrum grandis natu venit, nec ei locus datus est a suis civibus; tum ad legatos Lacedaemonios accessit; hi autem omnes consurrexere et seni locum dederunt. Hoc factum probantibus Atheniensibus, unus e legatis dixit, 'Athenienses quidem sciunt recta facere, sed facere nolunt.'

Diogenes.

37.—Diogenes moriens dixit: 'Proiicite me, ne in sepulcro posueritis.' Tum amici: 'Volucribusne et feris?' 'Minime vero,' inquit, 'sed telum propter me ponitote: hoc feras a me abigam.' 'Quomodo poteris?' illi responderunt: 'non enim senties.' 'Quid igitur mihi nocebunt ferarum dentes et volucrum rostra, nihil sentienti?'

Anaxagoras.

38.—Praeclarum fuit responsum illud Anaxagorae philosophi. Is enim, Lampsaci moriens, quaerentibus amicis, 'Visne in

patriam auferri?' inquit: 'Minime: undique enim ad Inferos eadem est via.'

Lysander at Sardis.

39.—Cyrus minor, princeps Persarum praestans ingenio atque imperii gloria, Lysandrum Lacedaemonium, virum summae virtutis, Sardibus olim hospitio excepit. Huic quemdam agrum diligenter cultum ostendit. Miranti autem Lysandro arbores, et humum cultam et bene dispositos ordines, Cyrus respondit: 'Ego omnia illa disposui: mei sunt ordines; multae etiam illarum arborum mea manu sunt satae.' Tum Lysander, videns ornatum eius multo auro eximium, dixit: 'Recte vero te, Cyre, beatum ferunt, virtuti enim tuae divitiae additae sunt.'

Contempt of death.

40.—Quam magno animo fuit Theramenes! Olim enim in carcerem ex mandato triginta tyrannorum coniectus, venenum bibit, et reliquum e poculo in vas emisit. Sonitu autem reddito, ridens inquit, 'hoc pulcro Critiae.' Critias autem in eum crudelissimus fuerat. Graeci enim in epulis poculum alicui tradituri, eum nominare solent.

Socrates.

41.—In eundem carcerem paucis post annis Socrates iit, eodem scelere iudicum. Qui est igitur eius sermo apud iudices? 'Lubenter,' inquit, 'morti obviam ibo. Alterum enim de duobus fiet: aut sensus omnino omnes mors auferet, aut in alium quendam ex his locis abibimus. Itaque aut somno fruemur, aut cum optimo quoque cive loqui poterimus et versari.'

The Spartans.

42.—Pari animo Lacedaemonii Thermopylis ceciderunt. Quid illorum dux Leonidas dicit? 'Pergite animo forti, Lacedaemonii: hodie apud inferos coenabimus.' Nonne etiam Lacaena pariter fortis fuit? Haec enim, filii morte nuntiata, 'In hunc finem peperi filium,' dixit.

Theodorus.

43.—Cyrenaeum Theodorum philosophum praeclarissimum nonne miramur? Lysimacho regi crucem minanti, 'Istis,' inquit, 'ista crudelia minare primoribus tuis: haec ad Theodorum nihil attinent: humi putrescere aut in aere, idem est.'

Peace or war.

44.—Romani legatos Carthaginem miserunt. Horum unus, sinum vestis monstrans, talia dixit: 'Sunt mihi in hoc sinu pax et bellum; utrum pacem an bellum mavultis?' Responderunt Carthaginienses: 'Utrumlibet accipiemus.' Tum dixit Romanus: 'Bellum do vobis.' Contra Carthaginienses: 'Lubenter bellum accipimus.'

The best fortifications.

45.—Quidam olim Spartano dixit: 'Cur moenia non habet Sparta?' Contra Spartanus inquit: 'Ne mentitus sis, optime; moenia praestantissima, incolarum scilicet virtutem, urbs nostra habet.'

Phocion.

46.—Phocion Atheniensis pauper erat. Olim centum talentis ab Alexandro, Macedonum rege, missis, dixit: 'Cur mihi tantum pecuniae dare vis?' Respondit legatus: 'Alexander te unum

omnium Atheniensium bonum virum existimat.' Tum Phocion inquit: 'Aufer pecuniam; bonus esse malo.'

The power of filial love.

47.—Croeso, Lydiae regi, filius erat, eximia forma et praestanti ingenio; loqui autem non poterat. Omni arte usi erant medici, nihil tamen efficere potuerunt. Sardibus a Cyro captis, miles quidam stricto gladio in Croesum irruebat. Tum puer amore commotus, summa vi loqui conatus est. Tandem magna voce exclamavit: 'Ne patrem meum Croesum interfeceris.'

A retort.

48.—Venit olim quidam ad Aristippum philosophum, eique dixit: 'Visne filium meum artes tuas docere?' Respondit Aristippus: 'Hoc equidem faciam, acceptis duobus talentis.' Pater autem pretio exterritus, dixit: 'At servum minoris emere possum.' Contra Aristippus, 'Fac hocce: ita duos servos habebis.'

An affectionate fish.

49.—Olim delphin amicitiam cum puero quodam contraxisse dicitur. Quotidie autem a puero vocatus, frusta panis accipiebat. In summam aquam veniebat, et, acceptis frustis, puerum dorso excipiebat. Mortuo puero, delphin prae dolore mortuus esse dicitur.

Practical philosophy.

50.—Iuvenis quidam diu apud Zenonem philosophum vixerat. Domum tandem rediit. Tum pater eum percontatur his verbis: 'Quid didicisti, mi fili?' Contra filius, 'Hoc tibi, pater, moribus meis monstrabo.' Hoc responsum aegerrime ferens pater, eum flagris laceravit. Inquit filius, 'iram patris ferre didici.'

Philoctetes.

51.—Poetae multa de Philoctete narrant. Dicitur Herculis armiger fuisse, et ab eo sagittas, venenato sanguine Hydrae tinctas, accepisse. Pes autem eius aut sagitta cadente aut serpentis dente vulneratus est. Ex hoc vulnere odor gravissimus ortus est, itaque Graeci eum a se expulerunt, et in insula Lemno reliquerunt. Hic diu solus in antro vivebat. Graeci autem sine sagittis illius Troiam capere non potuerunt. Tum vero Ulysses et Diomedes Lemnum missi, Philoctetem secum Troiam ducere conati sunt. Diu restitit: tandem precibus victus, Troiam abiit. Haud multo post Troia, per decem annos frustra oppugnata, sagittarum ope capta est.

The best sauce.

52.—Dionysius tyrannus, epulatus apud Lacedaemonios dixit, 'Equidem iure hoc nigro minime delector.' Nam apud mensas publicas Spartae ius nigrum, panem, fructus comedunt; lac et aqua bibitur. Tum coquus respondit: 'Minime mirum est: condimenta enim desunt. Haec autem condimenta sunt labores, cursus, fames, sitis. Sine his nemo hoc iure delectari potest.'

A noble foe.

53.—Themistocles olim, pugna navali devictis Persis, Athenis apud concionem dixit: 'Consilium in animo habeo: hoc utile reipublicae erit, celari tamen oportet. Uni e primoribus rem dicere volo.' Aristides ad hoc munus delectus est. Huic dixit Themistocles: 'Lacedaemoniorum classis in ancoris in portu est. Hanc clam incendere poterimus. Ita illorum potestas navalis delebitur.' His auditis, ad concilium Aristides reversus in hunc ꞁdum locutus est: 'Themistoclis consilium quum utile, tum

minime honestum est.' Itaque Athenienses ne auditum quidem consilium spreverunt.

Zeuxis and Parrhasius.

54.—Zeuxis et Parrhasius pictores celeberrimi fuerunt. Hi olim inter se de arte contendebant. Zeuxis primo uvas pinxit. Aves in tabulam advolabant, uvas comedere cupientes. Tum Parrhasius pannum pinxit. Zeuxis autem artificii huius modi ignarus, Parrhasio dixit: 'Aufer pannum; tabulam videre volo.' Mox intellecto errore dixit: 'A te victus sum: ego enim aves decepi, tu autem ipsum Zeuxin.'

X.—THE LABOURS OF HERCULES.

The Nemean lion.

55.—In valle Nemeae leo ingens vivebat, et pecora hominesque quotidie interficiebat. Eurystheus, rex Tirynthis, Herculem ad se advocavit, eique dixit: 'Curae tibi sit hunc leonem quam celerrime interficere.' Statim proficiscitur Hercules. Clava sagittisque frustra usus, impetu facto, leonem manibus interfecit. Tum ad Eurystheum reversus est, mortuum leonem humeris impositum ferens.

The Lernean Hydra.

56.—Olim in palude versabatur hydra. Haec novem capita habebat. Capita vero octo abscidit Hercules, nonum autem vulnerare non poterat; immortale enim erat. Abscisso quoque capite, bina statim enascebantur. His tandem igne consumptis, caput immortale sub saxo ingenti condidit Hercules. Belua ita devicta, sagittas venenato sanguine tinxit.

The Erymanthian boar.

57.—Exstitit in monte Erymantho aper mira magnitudine. Hunc capere iussus Hercules statim profectus est. Per nives diu insecutus aprum, tandem laqueis implicatum capere potuit, et ad Eurystheum rettulit.

The Arcadian stag.

58.—In Arcadia cervus erat aureis cornibus, pedibus vero aeneis. Hunc sequi Hercules ab Eurystheo iussus erat. Frustra per totum annum cervum insecutus est; tandem sagitta vulneratum cepit.

The stables of Augeas.

59.—Augeas, rex Elidis, tria millia boum habebat. Horum stabula per triginta annos non erant lota. Hercules Augean adiit, eique dixit: 'Uno die haec stabula lavabo. Visne mihi, hoc facto, decimam boum partem dare?' Respondit Augeas: 'Dabo lubenter.' Tum Hercules, converso per stabula amne, opus facillime intra unum diem peregit.

The Stymphalian birds.

60.—Vivebant olim in lacu ad Stymphalum in Arcadia aves pedibus et rostris et pennis aeneis: utebantur autem pennis suis pro sagittis, et carne hominum vescebantur. Aves adortus Hercules, sistro aeneo exterruit, tum fugere conantes sagittis interfecit.

The Cretan bull.

61.—Bovem mirae magnitudinis et eximiae formae e mari emisit Poseidon. Hunc sacrificare Minos, Cretae rex, iussus erat; captus autem bovis specie, alium eius vice sacrificavit. Poseidon

vero iratus, bovem in furorem egit. Tum bos per totam insulam magnam hominum stragem edebat, et opera agrestia corrumpebat. Hunc tandem captum Hercules ad Eurystheum portavit.

The mares of Diomedes.

62.—Diomedes, Bistonum rex, equas carne hominum pascebat. Hercules vero equas clam abstulit, et ad mare duxit. Hic autem Bistones eum adorti sunt. Diu pugnatum est. Devictis tandem Bistonibus, Hercules regem interfecit, et corpus equabus dedit. Tum reversus est incolumis equas secum ducens. Hae vero mansuefactae sunt carne domini sui pastae.

The girdle of Hippolyte.

63.—Hippolyte, Amazonum regina, zonam pulcherrimam habebat. Hac autem potiri volebat Admete, Eurysthei filia: itaque Hercules eam asportare iussus est. Tandem ad Amazonum terram pervenit. Ibi primum benigne excepit Hippolyte, zonamque promisit, sed coorta rixa, contra Herculem Amazones manus conseruerunt. His victis et occisa Hippolyte Hercules zona potitus est.

The oxen of Geryones.

64.—Geryones gigas triplici corpore in insula Erythia habitabat, multos boves habebat idem, a gigante Eurytione et a cane bicipite custoditos. Hercules his potiri volebat, itaque in Libyam et Hispaniam profectus est. Ibi ad utrumque latus maris columnas statuit: his igitur nomen Herculeis columnis datum est. Calore solis lacessitus in Helion tela coniecit: hic vero audaciam miratus, eum aurea cymba donavit: itaque Erythiam pervenire potuit. Interfecto Geryone cum Eurytione et cane, cum bobus reversus est.

The apples of the Hesperides.

65.—Mox opus difficilius Herculi imperatum est; mala scilicet Hesperidum iussus est asportare, non enim locum sciebat. In monte autem Atlante habitabant Hesperides. Ibi cum serpente ingenti mala aurea custodiebant. Locum tandem nactus Hercules, Atlanti dixit: 'Visne mihi mala aurea auferre? Hoc te faciente caelum humeris impositum tui vice sustinebo.' Cum malis reversus Atlas Herculi dixit: 'Nunc tibi licet caelum humeris semper sustinere, ipse autem abibo.' Tum Hercules per dolum onere humeris Atlantis iterum imposito, cum malis recessit.

Cerberus.

66.—His laboribus peractis, opus difficillimum Herculi imperatur. Erat in Tartaris canis triceps, nomine Cerberus. Hic aditum in Tartara custodiebat. Hunc in terram ferre iussus est. In Tartara profectus est cum Herma et Athena. Tum summo labore Cerberum manibus captum in terram secum portavit. His laboribus functus Hercules servitute ab Eurystheo liberatus est.

XI.—SAYINGS OF ARISTIPPUS.

67.—Olim Aristippo Corinthum iter faciente, ingens procella coorta est. Dixerat autem aliquis: 'Nos nautae nihil timemus: vos vero philosophi omnia timetis.' Contra Aristippus, 'Non est mirum,' inquit, 'non enim similes animi peribunt.' Quidam pro eodem caussam dixerat, eumque criminis absolverat. Tum Aristippum his verbis interrogavit: 'Quidnam boni a Socrate percepisti?' Ei philosophus respondit: 'Haecce percepi: de me multa bona dixisti, et vera sunt.'

XII.—SPARTAN MEALS.

68.—Spartani in publico loco coenabant. Singulis mensis plures homines utebantur. Singulis mensibus, frumentum, vinum, fructus, lac, quisque afferebat. Diu in publico coenare coacti sunt. Olim rex ipse Agis, bene gesto bello reversus, cum uxore domi coenare voluit. Ne tum quidem hoc passi sunt Ephori. Ob hanc caussam iratus rex sacra post victoriam solita facere noluit; itaque pecunia eum multaverunt.

XIII—THE OLDEST NATION.

69.—Psammetichus, Aegypti imperio potitus antiquissimam mundi gentem reperire voluit; tali igitur artificio usus est. Duos pueros nuperrime natos servo tradidit, eique dixit: 'Ne coram his vocem ullam edideris, lac modo praebe.' Haec per duos continuos annos fecit servus. Tandem portam aperienti pueri 'becos' clamabant. Hoc servus primum audiens, celavit: sed saepius idem verbum dictitantibus pueris, regi nuntiavit, eiusque mandato in conspectum adduxit. Panis autem Phrygio sermone becos dicitur. Itaque Phryges omnium populorum antiquissimi ab Aegyptiis habiti sunt.

XIV.—EGYPTIAN NOTES.

Doctors.

70.—Ars medica apud Aegyptios in hunc modum distributa est: singulorum morborum singuli sunt medici, nec plura morborum genera unus idemque curat. Suntque apud illos alii oculorum medici, capitis alii, alii dentium, alii occultorum morborum.

Mourning for the Dead.

71.—Lamenta et sepulturae in hunc modum instituuntur. Ex domo quavis mortuo homine, mulieres ex ea domo omnes luto oblinunt caput aut ipsum etiam os, deinde relicto domi cadavere, ipsae per urbem currunt gementes, et cum his propinquae omnes. Alia ex parte gemunt viri. His factis, cadaver ad condiendum efferunt.

Mummies.

72.—Quidam autem homines artem condiendi mortuos exercent. Allato cadavere, primum ferro per nares extrahunt cerebrum. Tum, extractis visceribus, corpus vino lavant, iterumque tritis odoribus purgant. Deinde corpus myrrha et casia aliisque odoribus, ture excepto, explent. His ita factis cadaver per dies septuaginta condiunt: nec enim licet diutius. Peractis septuaginta diebus, lavant cadaver, et pannis tegunt. Tum propinqui arcam hominis figura conficiunt; hanc in arcam cadaver ponunt, et in sepulcro, ad murum statuentes, relinquunt.

The victims of the Nile.

73.—Homines autem, sive Aegyptii, sive peregrini, a crocodilo abrepti, aut ipso flumine interempti magno honore afficiuntur. Eiectum enim cadaver incolae eius loci, quam maxima cura sepeliunt: neque alii cuiquam, nec propinquo, nec amico, tangere licet tale cadaver: sed soli sacerdotes Nili sepeliunt.

Mosquitoes.

74.—Adversus culices hoc faciunt. Turres aedificant praealtas; in has dormituri ascendunt, nam vento prohibentur culices. Homines autem circa paludes habitantes, pro turribus hac ratione se muniunt. Quisque vir rete habet: hoc per diem pisces venatur, noctu autem utitur in aedibus: lectulo imponit rete, deinde sese insinuans, sub illo dormit. Culices enim per vestes mordere possunt: per rete vero, ne conantur quidem.

A visit to the infernal regions.

75.—Rhampsinitus, Aegyptiorum rex, dicitur vivus sub terram descendisse, et apud Inferos cum Cerere aleam lusisse, et partim victor evasisse, partim etiam ab illa victus fuisse: denique iterum inde reversus, munus ab eadem retulisse pallium aureum. Propter hoc Rhampsiniti iter ad Inferos, epulas agunt Aegyptii. Unus e sacerdotibus pallium induit, eodem die ab illis confectum: huic reliqui pileo tegunt oculos, eumque in viam ducunt ad Cereris templum ferentem: tum ipsi retro discedunt. Tum sacerdos, a duobus lupis ad templum Cereris, rursusque in eundem locum duci dicitur.

The transmigration of souls.

76.—Primis omnium Aegyptiis anima hominis immortalis esse visa est. De anima autem haec dicunt: intereunte corpore in aliud animal anima intrat: circuitu per omnia terrestria animalia et marina et volucria absoluto, tum rursus in hominis corpus redit: circuitus autem ille tribus annorum millibus absolvitur. Hac vero sententia nonnulli e Graecorum philosophis postea usi sunt.

XV.—CYRUS.

His youth.

77.—Cyaxari, Medorum regi, successit filius Astyages. Hic Mandanen filiam, ob somnium sibi oblatum, homini Persae, nomine Cambysi, in matrimonium dedit. Mandane postea filium peperit. Hunc puerum, alio somnio exterritus, Astyages Harpago cuidam tradidit necandum. Harpagus autem puerum servo tradidit exponendum in montibus: sed ille suum puerum mortuum exposuit, Cyrumque pro suo educavit. Postea vero Cyrus

Persarum rex factus, Astyagen bello devicit, imperioque Medorum potitus est.

Solon and Croesus.

78.—Solon Atheniensis peregre profectus, in Aegyptum se contulit ad Amasin, atque etiam Sardes ad Croesum. Ibi in regia domo hospitio exceptus est a Croeso. Tum tertio aut quarto post die, iubente Croeso, ministri regis circumduxerunt Solonem thesauros omnes ostentantes. Tum tali modo eum percontatus est Croesus: 'Hospes Atheniensis,' inquit, 'multa ad nos de te fama pervenit, quum sapientiae tuae caussa, tum itinerum: sapientiae enim studio deditus multas terras spectandi caussa adiisti. Nunc igitur ingreditur in me cupido ex te sciscitandi. Quemnam adhuc vidisti omnium hominum beatissimum?' Videbatur autem sibi omnium beatissimus esse.

Tellus the Athenian.

79.—At Solon, nulla usus assentatione respondit: 'Ego vero, beatissimum vidi Tellum Atheniensem.' Hoc dictum miratus Croesus quaerit: 'Qua tandem ratione Tellum beatissimum iudicas?' Cui Solon: 'Tellus,' inquit, 'florente civitate, filios habuerat bonos viros honestosque, filiorumque filios liberos, eosque omnes superstites: idemque vitae finem habuit praeclarum: nam in pugna pro patria fortissime pugnans, devictis hostibus, interfectus est: tum in eodem loco ab Atheniensibus sepultus est, virum praestantissimum laudantibus.' Tum Croesus inquit: 'Quemnam secundum ab illo vidisti beatissimum?'

Cleobis and Biton.

80.—At ille inquit: 'Cleobin et Bitonem. His enim satis victus erat, et magnae corporis vires. Dicuntur etiam matrem, iugum ipsi subeuntes, curru in templum Iunonis traxisse, boves

enim ex agro non aderant. Hoc facto, vitae fine praeclarissimo functi sunt. Laudantibus enim omnibus iuvenum vires, et mulieribus matrem filiorum talium felicem dicentibus: tum mater stans ante simulacrum, deam precata est his verbis: 'O dea, Cleobi et Bitoni filiis meis, munus optimum praebe.' Sacris factis, epulati iuvenes somno se dederunt, et mane mortui inventi sunt. Eorundem deinde statuas, ut hominum praestantissimorum, in deae aede cives posuerunt.'

The fall of Croesus foretold.

81.—Cyrus, Persarum rex, in Croesum expeditionem susceperat. Interim tale prodigium Croeso oblatum est. Apparuit ad urbem ingens serpentum multitudo. Horum equi, omisso solito cibo, copiam ingentem edebant. Id Croeso prodigium esse videbatur: itaque statim homines consulere haruspices iussos misit. His dixerunt haruspices: 'Exercitus peregrinus ingredietur terram Croesi, et incolas opprimet: serpentes enim sunt terrae filii, equi autem hostes et peregrini.' Et haec quidem responderunt haruspices, Croeso iam capto, sed ignari adhuc ipsi eventus.

The capture of Babylon.

82.—Cyrus, universa continente inferioris Asiae potestati suae subiecta, Assyrios aggressus est. Sunt autem Assyriae quum aliae urbes praestantes multae, tum praeclarissima omnium et munitissima, Babylon. Erant autem moenia ducenos pedes alta. Propius urbem accedente Cyro, proelio cum eo conflixerunt Babylonii: victi autem in urbem repulsi sunt. Tum Cyrus, derivato fluvio, per alveum Euphratis, nescientibus incolis, in urbem ingressus est. Capta autem est Babylon Labyneto rege.

The islanders of the Araxes.

83.—In flumine Araxe sunt insulae multae. In his habitantes homines aestate radicibus vescuntur cuiusque generis: fructus autem arborum servant, iisque per hiemem vescuntur. Fructus nonnullos in ignem coniiciunt; horum odore ebrii fiunt, ut Graeci vino: maiore vero copia fructuum incensa, magis ebrii fiunt: denique ad saltandum surgunt et ad canendum. His talis est vitae ratio.

The fate of Cyrus.

84.—Erat eo tempore Massagetarum imperium penes mulierem; hanc mortuus rex viduam reliquerat. Tomyris reginae nomen fuit. Hanc Cyrus missis legatis voluit sibi despondere, cupiens in matrimonio habere. Tomyris autèm Cyrum sprevit. Post haec Cyrus, exercitu ad Araxem ducto, aperto bello Massagetas adortus est. Multos interfecere et cepere Persae: quum alios, tum reginae filium. Hic autem se ipse interemit. Sed Tomyris, collectis copiis, pugna cum Persis conflixit. Diu pugnatum est: tandem superiores Massagetae evasere. Inter alios et ipse Cyrus periit. Tum Tomyris Cyri caput in vase cruore repleto suspendit; mortuo his verbis irridens ait: 'Tu me vivam, tuique victricem, perdidisti: filium enim meum interfecisti: te vero ego cruore satiabo.'

XVI.—SPARTAN BREVITY.

85.—Samii olim, a Polycrate expulsi, Spartam venerunt. Introducti apud Ephoros multa fecerunt verba, opem orantes. At illi responderunt: 'Priora verba obliti sumus, posteriora non intelligimus.' Post haec iterum introducti, saccum ferentes nihil aliud dixerunt, nisi haec verba: 'Saccus frumento eget.' His Spartani responderunt: 'Nunc intelligimus: opem vobis praestabimus.'

XVII.—THE BATTLE OF THE WHIPS.

86.—Olim servi contra Scythas seditione facta, aciem commisere. Diu pugnatum est. Tandem unus e Scythis talia dixit: 'Quid tandem facimus, Scythae? Cum servis nostris pugnantes interficimur ipsi: his etiam interfectis, pauciores deinde habebimus. Itaque omissis hastis et sagittis, capiamus flagella, et in servos impetum faciamus: putant enim se nobis aequales et similes; sumptis vero flagellis, servitutem recordabuntur.' His dictis paruerunt Scythae: servi autem flagella videntes, in fugam se recepere.

XVIII.—THE MAGIC RING.

87.—Gyges olim quidam, hiante terra post magnos quosdam imbres, descendit in illum hiatum, aeneumque equum conspexit. Huius in lateribus fores erant: his apertis, hominis mortui vidit corpus mira magnitudine, annulum aureum in digito habentis. Annulum ipse induit (erat autem servus regis), tum in concilium se servorum recepit. Ibi palam eius annuli in manum convertens, a nullo videbatur; ipse autem omnia videbat: idem annulum in locum restituit, tum rursus videbatur. Itaque, hac occasione annuli usus, regem dominum interfecit, et inimicos sustulit: nec in his facinoribus eum quisquam videre potuit. Sic annuli ope rex Lydiae factus est.

XIX.—TIT FOR TAT.

88.—Scipio Nasica Ennio poeta amicissimo utebatur. Olim ad eum venit, et ad portam de eo quaesivit: ministra autem inquit: 'Ennius domi non est.' Videbat autem Ennium Nasica: nihil tamen dixit, sed domum reversus est. Paucis post diebus

ad Nasicam venit Ennius. Huic ipse Nasica exclamavit, 'Non sum domi.' Tum Ennius: 'Quid? nonne cognosco vocem tuam?' Nasica autem respondit: 'Homo es impudens; ego enim ministrae tuae credidi: tu non mihi credis ipsi.'

XX.—A DISTINCTION WITHOUT A DIFFERENCE.

89.—Alexander, Macedoniae rex, latronem captum his verbis interrogavit: 'Quo tandem iure mare lacessis?' Latro nihil timens respondit: 'Ego et tu eodem iure utimur; unam autem parvam navem habeo; latro igitur vocor: tu autem magnis classibus et exercitibus praees; itaque victor vocaris.'

XXI.—SOLON'S PRECEPTS.

90.—Solon iuvenes haec praecepta docuisse dicitur. 'Fidem pluris quam iusiurandum habetote: ne unquam mentiti sitis: rebus magnis operam date; ne amicitias ocius contraxeritis, contractas ne absolveritis; parere imperio edocti, ipsi aliis imperate. Ne suavissima consilia dederitis, sed optima; duci parete rationi: cum malis habitare nolite: deos colitote, patres matresque ne neglexeritis.'

PART II.

I.—THE STORY OF POLYCRATES.

His riches.

91.—POLYCRATES, qui seditione facta Samum occupavit, primum trifariam distributam civitatem una cum fratribus administravit. Dein, altero occiso, et natu minore ex insula eiecto, universam Samum imperio tenebat. Quo in imperio cum Amasi, Aegypti rege, hospitium contraxit, donis ei missis, et vicissim ab illo acceptis. Brevi tempore magnopere auctae res sunt Polycratis, et per universam Ioniam reliquamque Graeciam celebratae sunt. Etenim quocumque cum exercitu proficiscebatur, omnia ei feliciter cedebant. Habebat autem centum actuarias naves quinquaginta remorum, et mille sagittarios: cunctosque homines nullo discrimine facto invadens, agebat ferebatque omnia. Aiebat enim, 'Magis amico gratificabor, ea quae eripui restituens, quam ab initio nihil eripiens.' Multas igitur insulas ceperat, multa item continentis oppida. In his Lesbios navali pugna superatos cepit, qui deinde fossam, murum Sami ambientem, vincti foderunt.

The advice of Amasis.

92.—Felicitas Polycratis Amasi placebat; sed ea res illi curae erat. Missis igitur literis haec ad eum perscripsit: 'Amasis Polycrati salutem dicit. Placet valde mihi felicitas tua. At mihi non placent tuae res nimium secundae. Invidum est numen deorum qui mundum regunt. Itaque omnes, qui nimium florentibus rebus usi sunt, postremo pessimum finem habuerunt.

Tu ergo, meum secutus consilium, adversus illam tuam nimiam felicitatem, fac hocce. Illud abiice, quod maximi tibi est pretii.' His perlectis Polycrates, amici monitis paruit. Erat ei annulus, quem gestabat, auro vinctus, ex smaragdo lapide, Theodori opus, artificis praeclari. In navem conscendit, et detractum de manu annulum, conspicientibus cunctis qui in navi erant, in mare proiecit. Hoc facto domum navigavit. At quintc aut sexto die postea res ei accidit huius modi. Piscator quidam ingentem piscem, quem ceperat, regi dedit. Famuli vero, qui piscem coquebant, in eius ventre Polycratis annulum reperiunt.

The fate of Polycrates.

93.—Tum rex in Aegyptum ad Amasin literas de facto misit. Amasis autem lectis literis valde commotus est. Itaque misso praecone Samum dissolvit hospitium, quod habebat cum Polycrate, iram deorum veritus. Polycrates vero brevi tempore postea ab Oroete, Lydiae satrape, interficitur, et cadaver in cruce suspenditur. Ita nimiam felicitatem morte expiavit.

II.—THE STORY OF RHAMPSINITUS AND THE THIEF.

The Temple of Vulcan.

94.—Proteo in regnum Aegypti successit Rhampsinitus; qui monumenta sui reliquit propylaea templi Vulcani, occidentem spectantia. Ex adverso propylaeorum duas posuit statuas, viginti quinque cubitorum magnitudine: quarum illam quae stat a septentrione, Aestatem appellant Aegyptii; alteram, quae a meridie, Hiemem: et illam quidem, quam Aestatem vocant, adorant et donis placant; adversus illam, quae Hiems nominatur, contrarium faciunt.

The king's treasure-house.

95.—Hic rex magnas opes habebat, immensamque vim argenti. Itaque in tuto reponere suas pecunias cupiens, aedes aedificandas curavit lapideas. Is cui mandatum opus erat, pecuniam petens, hoc machinatus est. Ex lapidibus unum paravit, qui e muro facile eximi potuit, a duobus vel etiam ab uno homine. Absoluto aedificio, rex in illo divitias suas deposuit.

Two robbers spoil the treasures.

96.—Interiecto autem tempore is, qui aedificium aedificaverat, prope vitae finem fuit. Advocatis igitur filiis duobus exposuit artificium. Perspicue illos lapidis speciem mensuramque docuit. Hoc igitur vita functo, filii haud multo postea operi admoverunt manus. Noctu ad aedificium accedentes, lapidem removerunt, et multum pecuniae extulere.

One of them is caught.

97.—Postea rex aedificium aperuit, viditque valde diminutas pecunias; sigilla tamen ianuae salva erant, et aedificium clausum. Iterum autem et tertio aperiens, minus pecuniae in dies invenit. Itaque hoc fecit: laqueos statim paravit, eosque circa vasa, in quibus inerat pecunia, collocavit. Venerunt ut antea fures; alter, ad vas accedens, continuo captus est laqueis.

A plan to avoid detection.

98.—Frater vero caput fratris abscidit, adaptatoque iterum lapide domum abiit, caput secum ferens. Mane ingressus rex in aedificium obstupuit, conspecto corpore furis in laqueo constricti: videbat enim illaesum aedificium, nullumque vel exitum vel introitum. Itaque haerens animo hoc fecit. Cadaver furis ex muro suspendit, et custodes collocavit.

His brother carries off the body.

99.—Frater autem cadaver auferre constituit. Dolum igitur excogitavit huiusmodi. Instructis asinis utres imposuit vino plenos, eosque per viam publicam agitavit. Tum vero praeteriens locum, in quo custodes erant, duos vel tres utres clam solvit. Effluente vino, caput pulsavit ingenti clamore, quasi calamitate attonitus. Custodes, qui multum vini elapsum videbant, in viam concurrerunt, vasa tenentes, effluensque vinum colligentes. Ille autem maledictis eos laceravit. Custodibus vero eum consolantibus, paullatim ira desiit. Denique a media via exegit asinos, quos rursus instruere incepit. Ibi multis incidentibus sermonibus, illis unum ex utribus dedit. Tum omnes discumbentes compotationi animum applicuerunt. Mox eos alio utre donavit, qui copioso potu usi inebriati fuerunt, et somno oppressi in eodem loco, quo potaverant, obdormierunt. Tum vero, nocte iam multum progressa, fratris corpus solvit, et custodum dextras genas contumeliae caussa rasit. Denique cum asinis, cadavere imposito, domum rediit.

The reward of audacity.

100.—Regi factum renuntiatum est; quam rem primo aegerrime tulit; postea autem, et audacia et arte hominis attonitus, veniam et magna dona promisit. Fur edicto fidem adhibens, ad regem accessit, qui magna admiratione hominis ductus, filiam ei in matrimonium dedit.

III.—OIL WELLS.

101.—Sunt haud procul ab urbe Ardericca putei, qui tres diversas rerum species exhibent. Nam et asphaltus et sal et oleum ex illis hauriuntur, hoc modo. Hauriunt ope tollenonis, cui vas alligatum est; quod extulerunt e puteo, id in magnum vas infundunt; ex quo rursus in aliud receptaculum transvehitur, atque ita in triplicem formam convertitur. Et asphaltus quidem et sal concrescunt; oleum vero in vas colligunt: est autem illud nigrum, et gravem odorem spirat.

IV.—THE BODY-GUARD OF XERXES.

102.—Xerxem, Persarum regem, sequebantur mille pedites, fortissimi nobilissimique Persarum, erectas lanceas tenentes: deinde alii mille equites ex Persis selecti: et post equites, peditum decem millia e reliquis Persis selectorum: quorum mille in hastis, pro imis cuspidibus, aurea habebant mala punica, et reliquos includebant; novies mille vero, qui intra hos erant, argentea mala punica habebant. Aurea vero mala punica habebant etiam illi, qui lanceas in terram conversas tenebant; et mala aurea hi, qui Xerxem proxime sequebantur.

V.—A WEALTHY SUBJECT.

His offers to the King.

103.—Olim Xerxem per Asiam iter facientem excepit Pythius quidam magnificis epulis, pecuniasque pollicitus est. Qui ubi pecunias obtulit, Xerxes ministros suos rogavit: 'Quisnam hominum est Pythius, et quantas habet divitias?' Cui illi responderunt: 'Idem hic est, Rex, qui patri tuo Dario auream platanum, aureamque vitem dono dedit: estque post te, quos novimus, omnium hominum ditissimus.' Miratus rex ipse deinde Pythio dixit: 'Quantas habes divitias?' Tum inquit Pythius: 'Sunt mihi argenti talenta bis mille, auri vero maxima copia. Has ego pecunias tibi do: est enim mihi ex mancipiis atque agris satis victus.'

A kingly recompense.

104.—His ab illo dictis delectatus Xerxes respondit: 'Pythi, nullum adhuc, praeter te, hominum reperi talia offerentem. Tu vero magnifice me excepisti, et pecunias ingentes polliceris. Tibi ergo

invicem ego dona haecce tribuo: in meorum hospitum numero te repono: do tibi etiam magnum auri pondus. Perge vero retinere quae acquisivisti, ac semper talem te virum praesta. Haec facientem, neque nunc, nec in posterum te poenitebit.'

VI.—A BALD PEOPLE.

183.—Interim Persae cum classe contra progressi sunt. Tum Iones etiam naves suas longo ordine eduxerunt. Proelio commisso, nonnulli e ducibus, sublatis velis, deserta acie in fugam se receperunt. Reliqui vero, ubi plerosque socios prodere rem communem viderunt, noluerunt fugere, sed pugnarunt discurrentes per hostium naves, easque perrumpentes; donec, quum plures naves cepissent, ipsi suarum maiorem partem perdiderunt. Satis constat Ionas magno cum detrimento devictos esse. Dionysius vero, actum esse de classe intelligens, in Siciliam vela fecit; ex qua coortus praedari incepit: Graecis quidem navibus nunquam insidiatus, sed Carthaginiensibus ac Tyrrhenis.

Capture of Miletus.

184.—Persae, victis pugna navali Ionibus, terra marique Miletum oppugnarunt, et, suffossis muris, admotisque cuiusque generis machinis, cum ipsa arce ceperunt, sexto a defectione Aristagorae anno; captamque in servitutem redegerunt. Ita ea ipsa calamitate devicta urbs Miletus est, quae in illam oraculo praedicta erat.

The prediction of the oracle.

185.—Quum enim Argivi Delphorum oraculum de suae urbis salute consuluissent, alia de Argivis, alia de Milesiis edidit Pythia. Quae vero ad Miletum attinebant, haecce erant;—

Tunc quoque, commentrix operum Milete malorum,
Permultis coena et praestantia munera fies,
Crinitisque pedes tua pluribus abluet uxor;
Templi aliis nostri in Didymis sua cura manebit.

Tunc igitur haec Milesiis acciderunt, quando virorum maior pars interfecta est a Persis longos capillos alentibus, et templum in Didymis exspoliatum igne concrematum est.

A too affecting drama.

186.—Athenienses autem et aliis multis modis monstraverunt, quantum ea Mileti expugnatione luctum perceperint; et, quum Phrynichus, poeta praeclarus, drama scripsisset docuissetque, de Mileti expugnatione, in lacrimas eruperunt omnes spectatores, et mille drachmis multatus est poeta, quod domesticarum calamitatum mentionem fecisset; et lege prohibitum est, ne quis amplius hoc dramate uteretur.

Failure of Mardonius' expedition against Greece.

187.—Darius ob incensas Sardes poenam de Atheniensibus et Eretriensibus sumere constituit. Magnis igitur copiis Mardonium praefecit. Hic navem ipse conscendit, et cum reliquis navibus profectus est: pedestrem vero exercitum alii duces ad Hellespontum duxerunt. Primum Thasios classe aggressi, qui ne manus quidem contra illos sustulerant, sibi subiecerunt: tum pedestri exercitu Macedonas sub iugum miserunt. Dein Athon montem navibus circumvehi instituerunt. Sed maxima coorta tempestate, maximus navium numerus ad montem illisus est. Aiunt trecentas ex navibus periisse, et hominum amplius viginti

millia. Pedestrem vero exercitum noctu aggressi Thraces, magnum militum numerum occiderunt. Itaque Mardonius, turpiter re gesta, copias in Asiam ducere coactus est.

XVI.—THE SECOND EXPEDITION AGAINST GREECE.

Preparations.

188.—Ne tum quidem Darius incepto destitit. Nam et famulus eum admonebat ut reminisceretur Atheniensium, et ipse cupiebat Graecos subigere. Itaque, Mardonio ab imperio remoto, qui male rem gesserat, Datin et Artaphernem novis copiis praefecit, dato mandato, ut Athenas Eretriamque sibi subiicerent, et capta inde mancipia in suum conspectum adducerent. Hi nominati imperatores, quum ad mare pervenissent, magnas copias conscripserunt; accesserunt etiam naves equis transvehendis, quas superiori anno Darius parandas curaverat. Equis in naves impositis, et omni pedestri exercitu conscendere iusso, sexcentis triremibus profecti sunt.

The voyage.

189.—Per Icarium mare cursum tenuere, metuentes maxime, ut mihi videtur, montis circuitum, in quo superiori anno ingentem calamitatem passi erant. Ubi per mare Icarium transvecti Naxon insulam advenere, omnes Naxii in montes confugerunt. Persae vero, in servitutem redactis illis, quoscunque comprehendissent, et aedem et urbem incenderunt. Quo facto adversus reliquas insulas navigare pergebant.

Delos is spared.

190.—Dum haec geruntur, Delii etiam, relicta insula Tenum effugiunt. Datis autem, ubi in viciniam Deli cum exercitu per-

venit, non passus est classem ad insulam appellere; et postquam cognovit, quo se Delii recepissent, misso praecone, haec iis edixit: 'Cur fuga abitis, viri sancti? ne me nequissimum hominem putaveritis. Hoc mihi mandatum est a rege, ne, qua in terra hi duo dii nati sint, eam neu incolas eius laedam. Quare redite ad vestras sedes.' His dictis trecenta turis talenta super aram congesta adoluit.

The fulfilment of an old prophecy.

191.—Post digressum Persarum ex hac regione, commota tremuit Delos: quod nec ante id tempus, ut aiunt Delii, nec post, ad meam usque aetatem, factum est. Et hoc quidem prodigium edidit Deus, ut imminentia hominibus mala significaret. Constat autem regnantibus Dario, Xerxe, Artaxerxe, plura mala afflixisse Graeciam, quam per viginti alias generationes quae ante Darium exstiterint. Itaque non sine caussa commota est Delos. Et in vaticinio ita scriptum est:—

Et Delum, quamvis sit adhuc immota, movebo.

Haec autem tria nomina hoc significant Graeco sermone: Darius coercitorem, Xerxes bellatorem, Artaxerxes magnum bellatorem.

State of affairs at Eretria.

192.—Eretrienses autem, ubi cognoverunt sese peti a Persis, Athenienses orarunt ut auxilia mitterent. Itaque copiae auxilio iis confestim missae sunt. At in Eretriensibus sanum nullum erat consilium. Qui Athenienses vocaverant, ipsi in duas divisi erant sententias: nam aliis animus erat, relicta urbe in superiora Euboeae loca se recipere: alii vero, privatum quaestum a Persis sperantes, urbem prodere parabant. Quibus rebus cognitis, quidam e primoribus Athenienses oravit, ut domum redirent, ne simul cum Eretriensibus perirent. Itaque statim omnes Athenas reversi periculum evaserunt.

The taking of Eretria.

193.—Persae vero, quum Eretriam pervenissent, expositis copiis, urbem adoriuntur. Oppidani quidem egredi et pugnam committere non audebant, sed muros defendere curae fuit, quandoquidem vicerat sententia non relinquendam esse urbem. Quum autem acriter oppugnaretur murus, intra sex dies multi ex utraque parte perierunt: septimo vero die, nonnulli ex civibus urbem Persis prodiderunt. Qui, urbem ingressi, aedem spoliarunt incenderuntque, poenam hanc rependentes ob aedem Sardibus crematam; homines autem, ut iusserat Darius, in servitutem abstraxerunt.

The Persians land in Attica.

194.—Subacta Eretria, Persae in Atticam navigarunt. Quumque Marathon esset totius Atticae maxime idoneus equitibus locus, ibi copias exponere iussit Hippias, qui olim tyrannus Athenarum fuit. Is apud Darium diu vixerat, a civibus suis regno expulsus. Qua re cognita, Athenienses etiam ipsi Marathona obviam hostibus egressi sunt. Duxerunt autem illos decem imperatores; quorum decimus Miltiades erat, de quo supra narratum est.

The mission of Phidippides and apparition of the god Pan.

195.—Tum vero Spartam missus est praeco Phidippides, qui cursu celerrimus fuit. Cui, ut ipse narrat, deus Pan obviam factus est, compellatoque nominatim Phidippide, iussit eum renuntiare Atheniensibus illos nullam sui curam habere, quamvis sit amicissimus Athenis, ac iam saepe de illis bene meritus fuerit, et postea etiam bene sit meriturus. Peracto igitur bello, templum Pani Athenienses condidere, eumque annuis sacrificiis placaverunt.

Spartan superstition.

196.—Tunc Phidippides, postridie eius diei quo Athenis profectus erat, Spartam pervenit. Primores convocatos ita allocutus est: 'Petunt a vobis Athenienses, ut sibi subsidio veniatis. Ne passi sitis ut antiquissima inter Graecos civitas in servitutem redigatur a barbaris. Nam et Eretria nunc sub iugum missa est, et illustris civitas periit.' His dictis, placuit quidem Spartanis auxilia mittere Atheniensibus, sed hoc confestim facere non potuerunt, quum nollent contra legem agere. Erat enim nonus dies mensis: 'nono autem die, et priusquam plena esset luna, se non egressuros,' aiebant.

The dream of Hippias, and other omens.

197.—Hippiae, Pisistrati filio, talis visus erat oblatus. Visus erat sibi cum sua matre colloqui: quo ex somnio intellexerat, Athenas se rediturum esse. Tunc vero, ducis munere fungens, barbaros in terram egressos ordinavit. Quae dum facit, accidit ei ut vehementius, quam solitus erat, et sternutaret et tussiret. Quumque ei, quia aetate erat iam provectiori, plures labarent dentes, dentium unum, dum tussit, propter vim ex ore eiecit. Qui quum in arenam cecidisset, magnum adhibuit studium ut eum reperiret. Postquam vero nusquam dens visus est, edito gemitu ait: 'Terra haec non est nostra, neque eam in nostram potestatem redigere poterimus: nam quidquid eius ad me pertinebat, id dens meus habet.'

The Greeks hold a council of war.

198.—Interim Atheniensibus auxilio venere Plataeenses. Concilio convocato, imperatorum bifariam divisae erant sententiae; nolentibus aliis, ut proelio confligeretur; aliis vero, et in his Miltiade, confligendum censentibus. Ita quum decem duces dixissent, undecimus supererat, qui suffragium ferret, is qui pole-

marchus electus erat. Erat autem tunc polemarchus Callimachus: quem his verbis allocutus est Miltiades.

The speech of Miltiades.

199.—'In te nunc situm est, Callimache, utrum velis Athenas in servitutem redigere, an, liberata patria, memoriam tui in omne aevum relinquere. Nunquam enim in tantum periculum adducti sumus. Si a Persis vincemur, decretum est quid nobis sit patiendum, Hippiae deditis: sin autem superior evaserit haec civitas, primam aio futuram esse Graecarum civitatum. Quo pacto igitur hoc fieri possit, nunc tibi dicam. Sententiae imperatorum, qui decem sumus, in duas partes divisae sunt: aliis confligendum ratis, aliis non confligendum. Si tu meae accesseris sententiae, habebis liberam patriam, et civitatem primam universae Graeciae: sin his suffragatus fueris qui dissuadent proelium; erit tibi contrarium illorum, quae memoravi, commodorum.'

Preparations for the conflict.

200.—Quibus dictis Miltiades in suam sententiam Callimachum traxit; et accedente polemarchi suffragio decretum est ut proelio confligeretur. Tum eorum, qui ex imperatoribus pugnandum censuerant, quisque, ut dies aderat quo imperare debebat, vicem suam Miltiadi tradidit. Tum in aciem educti sunt Athenienses, tali modo instructi: dextro cornu praeerat polemarchus Callimachus: erat enim tunc lex apud Athenienses, ut polemarchus dextro cornu praeesset. In laevo cornu stabant Plataeenses.

The battle of Marathon.

201.—Acie ita ordinata, quum caesis hostiis secunda omina nuntiata essent, Athenienses dato signo pugnae cursu in hostes contenderunt. Tum vero Persae, ubi cursu adversus se irruentes

hostes viderunt, ad excipiendos illos se paraverunt. Aiebant enim 'furere Athenienses, et in perniciem currere, qui tam pauci essent neque equitatum neque sagittarios haberent.' At Athenienses, quum manus conseruissent, pugnam commisere memoratu dignam. Primi enim omnium Graecorum in Persas impetum facere ausi sunt: et primi sustinuerunt Medicam vestem aspicere; quum ante illum diem vel nomen Medorum Graecis horrorem incussisset. In media acie vicerunt barbari; qui hac parte victores, perrupta acie, fugientes persecuti sunt. At in utroque cornu penes Athenienses et Plataeenses victoria stetit. Et hi quidem, omissis barbaris quos in fugam verterant, illos aggressi sunt qui mediam aciem perruperant, et de his quoque victoriam reportarunt. Tunc vero in fugam effusos Persas persecuti sunt, donec ad mare delati, ipsas naves adorti sunt.

The losses on both sides.

202.—In hoc discrimine et alii multi perierunt nobiles Athenienses; et Callimachus, polemarchus, fortiter pugnans interfectus est: unus item ex imperatoribus, Stesilaus. Ibidemque Cynaegirus, quum aplustre navis manu tenuisset, securi manu amputata cecidit. Ceterum septem navibus potiti sunt Athenienses. Ex Persis ceciderunt in pugna Marathonia circiter sex millia et quadringenti; Atheniensium vero centum nonaginta duo.

A supernatural combatant.

203.—Accidit autem res mira huiusmodi. Epizelus, civis Atheniensis, stans in acie fortiterque pugnans, oculorum usu privatus est, nulla corporis parte nec cominus percussus, nec eminus ictus: et ab hoc tempore per reliquam vitam caecus permansit. Memorant autem ipsum de hac calamitate haec narrasse: 'visum esse sibi virum armatum contra se stare, cuius barba totum tegeret clipeum: illud autem spectrum praeteriisse ipsum, et virum sibi proximum interfecisse.' Haec Epizelum solitum esse narrare audivi.

The Persians attempt to surprise Athens.

204.—Reliquis autem navibus barbari Sunium circumnavigarunt, ad urbem pervenire studentes prius quam rediissent Athenienses. At dum Sunium navigant Persae, Athenienses, quantum pedibus valuere in urbem retro currentes, prius affuere quam Persae venerunt. Barbari vero, postquam naves ante Phalerum, qui portus erat Atheniensium, in mari aliquamdiu tenuissent, retro in Asiam navigarunt. Ita iterum barbari frustrati sunt, dum Graecia potiri conantur.

XVII.—THE LAST DAYS OF MILTIADES.

Miltiades attacks Paros.

205.—Post cladem Persis ad Marathonem illatam Miltiades, quum iam magni aestimatus esset apud Athenienses, maiore etiam fuit auctoritate. Itaque, quum petiisset septuaginta naves et exercitum, quamvis nollet dicere contra quam terram ducturus esset, diceret tamen, 'ditaturum se eos, si sequerentur,' Athenienses spe erecti instructas ei naves dederunt. Tum Miltiades accepto exercitu Paron navigavit; infensus enim erat Pariis ob Lysagoram quendam, qui eum olim accusaverat. Quum ad insulam pervenisset, Parios intra moenia repulsos obsedit: missoque praecone in urbem centum postulavit talenta, dicens, 'nisi ea sibi darent, non se abducturum exercitum, donec vi cepisset urbem.' At Parii omnibus modis operam dabant, ut urbem defenderent. Quem in finem et alia excogitabant, et, ubicunque pars muri expugnatu facilior videretur, ibi eam noctu duplo altiorem, quam prius erat, aedificabant.

He meets with an accident.

206.—Narrant autem, Miltiadi, de incepti exitu dubitanti, in colloquium venisse mulierem captivam, cui nomen Timo, quaeque

ministra aedis Dearum Inferarum esset. Hanc, postquam in conspectum venisset Miltiadis, consilium ei dedisse, ut, 'si magni faceret capere Paron, exsequeretur quicquid ipsa illi esset indicatura.' Deinde, auditis mulieris huius praeceptis, Miltiadem in tumulum, qui ante urbem esset, se contulisse, et murum aedi Cereris circumductum traiecisse, quum fores aperire non potuisset: tum ad ipsam deae aedem accessisse. Quum vero iam ad fores esset, subito horrore correptum, per eandem viam, qua venisset, rediisse, et desilientem de muro femur luxasse.

The voice of Apollo.

207.—Itaque Miltiades retro navigavit, neque opes afferens Atheniensibus, nec subacta Paro. Parii autem, obsidione liberati, quum intellexissent Dearum ministram Miltiadi indicasse quid faciendum esset, poenam huius rei caussa sumere voluerunt. Legatos igitur Delphos miserunt, qui oraculum consulerent, 'num ultimo supplicio afficerent Dearum ministram, quae hostibus viam indicasset ut patriam caperent: et sacra, quae viris monstrari nefas esset, Miltiadi aperuisset.' At negavit Pythia, dicens, 'non Timo ipsam huius rei caussam esse; sed quum in fatis esset ut vita male fungeretur Miltiades, hanc ei a diis missam esse, ducem malorum.' Haec quidem Pythia Pariis respondit.

Disgrace and death of Miltiades.

208.—Miltiadem autem, Paro reversum, quum alii omnes Athenienses accusabant, tum prae ceteris Xanthippus, Ariphronis filius; qui eum capitis reum egit apud populum, ut qui dolo malo Athenienses decepisset. Quam ad accusationem Miltiades ipse, quamvis praesens esset, non respondit: nec enim poterat, femore iam putrescente. Sed dum ille lectulo impositus in medio iacebat, caussam pro eo dixere amici, pugnae Marathoniae multam

mentionem facientes. Favente autem illi adeo populo, ut capitis crimine eum absolveret, tamen propter damnum civitati illatum quingentis talentis multaret, Miltiades quidem haud multo post, carie ossium corrupto femore, mortuus est; quingenta autem illa talenta filius eius Cimon solvit.

XVIII.—EXPEDITION OF CLEOMENES AGAINST ARGOS.

A subterranean stream.

209.—Cleomeni, Spartano regi Delphicum oraculum consulenti, redditum erat responsum, 'capturum illum Argos.' Itaque in Argivorum fines cum exercitu profectus est. Postquam vero ad fluvium pervenit Erasinum, quem aiunt ex Stymphalio lacu effluere: (dicunt enim, hunc lacum, postquam in caecam voraginem se infuderit, rursus apparere in Argolide, et exinde hanc aquam vocari Erasinum ab Argivis); hostias flumini immolavit. Quum vero extis monstraretur, infelicem fore transitum, laudare se ait flumen, quod cives non proderet suos; sed ne sic quidem salvos evasuros Argivos.

The invasion of Argolis.

210.—Post haec retrogressus, et tauro mari immolato, navibus duxit exercitum in Argivorum fines. Qua re cognita, ad mare properant Argivi, opem suis laturi. Tum castra castris Lacedaemoniorum, haud magno spatio in medio relicto, opposuerunt. Ibi pugnam ex aperto non verebantur, sed ne dolo caperentur; Pythia enim oraculum ediderat his verbis:

Verum, quando marem praevertet femina victrix,
Inter et Argivos referet praelustris honorem;
Tunc Argivarum reddet plerasque gementes;
Occidet et telis sinuoso corpore serpens.

Turning the tables.

211.—Proinde consilium ceperunt utendi hostium praecone: idque ita exsecuti sunt, ut, quoties Spartanus praeco signum aliquod dedisset, Argivi etiam id ipsum facerent. Quos ubi Cleomenes cognovit idem exsequi, quod ipsius praeco significasset; imperat suis, ut, quando prandii signum edidisset praeco, tunc arma caperent, et Argivos adorirentur. Quod fecerunt Lacedaemonii. Nam, dum Argivi ex praeconis imperio prandium capiebant, subito illos adorti, magnum numerum interfecerunt, alios multos, qui in Argi lucum confugerant, circumsedentes ibi custodiverunt.

Broken faith.

212.—Deinde hoc fecit Cleomenes. Quum e transfugis quibusdam cognosset, quinam essent ex Argivis qui in sacro luco inclusi essent, misso praecone nominatim vocavit singulos, affirmans, 'se pretium redemptionis illorum accepturum.' Statutum autem apud Peloponnesios est pretium redemptionis, binae minae pro singulis captivis pendendae. Itaque quinquaginta fere Argivorum vocatos interfecit Cleomenes; quod reliquis, qui in luco erant, ignotum erat: quum enim magnus esset lucus, qui intus erant, non videbant quid faceret. Postremo vero unus illorum conscensa arbore vidit quid gereretur; atque exinde non amplius egrediebantur vocati.

Sacrilege.

213.—Tum vero Cleomenes hilotas omnes iussit materiem circa lucum congerere: quo facto lucum incendit. Iamque dum ardebat lucus, ex transfuga quaesivit, 'cui deo sacer lucus esset.' Qui ubi respondit, 'Argi lucum esse;' hoc audito Cleomenes, ingentem edens gemitum, ait: 'O fatidice Apollo, magnopere me decepisti, quum me Argos capturum diceres. Suspicor enim

exisse mihi id vaticinium.' Post haec, maiore exercitus parte Spartam dimissa, ipse cum mille fortissimis ad Iunonis templum se contulit, sacra facturus. Quum autem sacrificare vellet, vetuit eum sacerdos dicens, nefas esse peregrinum sacra ibi facere. At Cleomenes, iussis hilotis abductum ab ara sacerdotem verberare, ipse sacra fecit; quo facto Spartam rediit.

Trial and defence of Cleomenes.

214.—Spartae vero inimici eum apud ephoros reum egerunt: aiebant enim, 'pecunia corruptum Argos non cepisse, quum capere facillime potuisset.' At ille respondit, 'postquam lucum Argo sacrum cepisset, visum sibi exisse vaticinium dei: quare non tentandam urbem putavisse, priusquam sacris factis cognovisset, utrum traditurus sibi eam Deus esset, an impedimento futurus. Litanti autem sibi in Iunonis aede, ex simulacri pectore effulsisse flammam: itaque intellexisse se, Argos capi non posse: nam, si ex capite simulacri effulsisset flamma, capturum se urbem fuisse: quum vero e pectore effulsisset, effecta esse omnia quae Deus fieri voluisset.' Itaque criminis absolutus est.

Madness and suicide of Cleomenes.

215.—Postea furor eum invasit: nam quoties Spartanus obviam ei veniret, huic sceptrum in faciem infligebat. Quae quum faceret, et alienata mente esset, vinxerunt eum propinqui, et ligno alligaverunt. At ille, ita vinctus, ubi vidit unum custodem, egressis ceteris, solum relictum, cultrum postulavit: quem quum ei statim dare nollet custos, minatus est homini quae deinde illi facturus esset; donec minis territus cultrum dedit. Tum vero, sumpto ferro, Cleomenes, initio a cruribus facto, misere se ipse laceravit. Postremo, ubi ad ventrem perventum est, hunc etiam dissecuit, donec animam efflavit.

Explanations of the act.

216.—Argivi aiebant 'hoc eum fecisse, quoniam Argivos, qui e pugna in lucum Argi se recepissent, inde abductos trucidasset, ipsumque spreta relligione lucum incendisset.' At Spartani arbitrantur, 'non in furorem actum fuisse Cleomenem a deo quoquam, sed contraxisse morem bibendi merum, eaque de caussa in furorem incidisse.' Haec apud Spartanos de Cleomene fama est.

XIX.—A DIFFICULTY.

Which is the eldest?

217.—Uxor Aristodemi, regis Spartanorum, peperit gemellos. Aristodemus autem brevi tempore mortuus est. Tum Lacedaemonii decreverunt regem nominandum eum ex filiis qui maior esset natu. Quum vero nescirent, utrum ex illis eligerent, qui similes inter se et aequales erant, matrem interrogarunt. At illa dixit, 'ne se quidem ipsam internoscere.' Itaque Lacedaemonii, quum incerti essent, legatos Delphos miserunt, ut consulerent quid fieri deberet. Pythia autem imperavit, ut 'puerum utrumque regem haberent, sed magis honorarent natu maiorem.'

Another judgment of Solomon.

218.—Quo accepto responso, quum nihilominus incerti essent, quo pacto reperirent, uter maior natu esset, consilium dedit vir cui nomen Panitae erat. Is vero suasit Lacedaemoniis, 'ut observarent matrem, viderentque utrum puerorum lavaret priorem, priorique cibum praeberet.' Narrant illos, observantes matrem deprehendisse eam semper et in cibo praebendo et in lavando alterum ex pueris praeferentem. Credidisse igitur Lacedaemonios

hunc, a matre alteri praelatum, natu esse maiorem. Et hos ipsos fratres per omne vitae tempus discordes inter se fuisse narrant.

XX.—THE THIRD INVASION OF GREECE.

The cutting of the canal across Mount Athos.

219.—Xerxes iterum in Graeciam expeditionem facere constituit. Itaque magno exercitu in Asia conscripto, ad Hellespontum manebat donec omnia parata essent ut in Graeciam iter facere sine periculo posset. Ac primum quidem, quoniam ii, qui circa Athon sunt circumvecti, calamitatem saepe acceperant, fossam fieri iussit trans isthmum, qui ad imum montem situs est. Videtur autem mihi magnificentiae caussa fodi hanc fossam iussisse Xerxes, cupiens et potestatem suam ostentare, et monumentum relinquere sui.

The cables for the bridge, and the commissariat.

220.—Haec dum ita facienda curat, simul etiam parari funes iungendis in Hellesponto pontibus iussit, partim ex papyro, partim ex lino: quam curam Phoenicibus et Aegyptiis mandavit. Deinde ne fame periret aut exercitus aut iumenta in Graeciam ducenda, comportari commeatus iussit; et optima sciscitatus loca, ubicunque locum maxime idoneum reperit, ibi iussit deponi, dato mandato ut undique ex Asia onerariis navibus alii alio deveherent.

The bridges destroyed by a storm.

221.—Interim ii quibus negotium datum erat ut Hellespontum ponte iungerent ex Asia in Europam pertinente, confecerant opus. Duos autem pontes struxerunt; alterum Phoenices, rudentibus ex lino confectis; alterum Aegyptii, ex papyro. Sunt autem septem stadia ex Abydo ad oram oppositam. At iunctis ponti-

bus, ingens procella coorta est, quae rescidit omnia atque dissolvit.

The scourging of the waves.

222.—Quod ubi Xerxes cognovit, gravissime ferens, trecenta verbera flagellis infligi iussit Hellesponto, et compedes in pelagus proiici: narrant etiam, praeter haec eum homines misisse, qui stigmata inurerent Hellesponto. Imperavit certe, ut flagellis caedentes barbara haec et insana pronuntiarent verba: 'O amara aqua, dominus tibi hanc poenam infligit, quod illum iniuria affecisti, nihil mali ab ipso passa. Et traiiciet te rex, sive volueris, sive nolueris. Merito autem nemo hominum tibi sacra facit, nam es dolosum salsumque flumen.' Simul vero et mari has poenas infligi iussit, simulque capita amputari eorum, qui ponti fuerant praefecti.

The new bridges.

223.—Pontes autem deinde iunxerunt alii architecti, et hoc quidem modo iunxerunt. Collectas naves numero ad sexcentas septuaginta quatuor statuerunt. Inter has tribus in locis transitum reliquerunt, ut in Pontum intrare possent mercatores, et inde reverti. Tignis deinde per naves dispositis ingesserunt sarmenta, et sarmentis terram: denique utrumque latus pontis septo munierunt, ne iumenta et equi conspecto mari consternarentur.

An eclipse of the sun.

224.—Postquam Xerxi renuntiatum est pontem et fossam parata esse, statim proficisci constituit. Iamque in eo erat ut iter ingrederetur, quum sol sua sede relicta evanuit; nullis nubibus obductum caelum, sed quam maxime serenum erat, et medio die nox exstitit. Quod ubi conspexerat Xerxes, curae ei haec res fuit, quaesivitque ex Magis quid significaret id prodigium. Re-

sponderunt Magi, 'Deum Graecis significare urbium excidium: solem enim Graecis futura significare, Persis autem lunam.' Quibus auditis gavisus Xerxes, educere copias incepit.

Xerxes complies with a request.

225.—Tum Pythius quidam, prodigium veritus, oravit Xerxem ut unum e quinque filiis, qui in exercitu essent, sibi relinqueret. Cui vehementer iratus respondit rex: 'O homo nequam! quum ego filios meos et fratres mecum ducam, tu ausus es tui filii facere mentionem! Equidem filium tuum tibi dabo!' Hoc dato responso, imperavit ut maximus natu e filiis Pythii discinderetur medius, discissique corporis dimidium ad dextram viae, dimidium ad sinistram disponeretur, utque illa via transiret exercitus.

The review of the forces.

226.—Abydi vero Xerxes universum exercitum oculis lustrare voluit. Et de industria ibi in tumulo praeparata ei erat sedes sublimis ex candido marmore facta: quam Abydeni regis mandato prius fecerant. Ibi igitur sedens, contemplatus est et pedestrem exercitum et naves: quas dum contemplatur, invasit eum cupido certaminis navalis spectandi. Quod ubi ei editum est spectaculum, in quo vicere Phoenices, gavisus est et certamine et exercitu. Conspiciens autem Hellespontum navibus suis coopertum, et oram omnem hominibus repletam, beatum se Xerxes esse dixit: haud vero multo post lacrimas fudit; dicebat enim, 'reputare se quam brevis esset hominis vita; quum eorum, tot numero hominum, nullus in centesimum annum superfuturus esset.'

The crossing of the Hellespont.

227.—Et illo quidem die parabant transitum: postridie vero solem exspectabant, cupientes orientem videre, et odores omni genere in pontibus urentes, et myrtis viam sternentes. Oriente

sole, ex aurea phiala vinum Xerxes fudit in mare, et ad solem conversus precatus est, 'ne quis sibi accideret casus, qui ipsum cogeret a subigenda Europa desistere, prius quam ad extremos terminos pervenisset.' Peractis precibus, phialam in Hellespontum proiecit, simulque aureum craterem, et Persicum gladium, quem acinacem vocant. Illud autem certo dicere non possum, utrum in solis honorem illa in mare proiecerit, an mari obtulerit, poenitentia adductus, quod Hellespontum flagellis caedi iusserat. His rebus peractis Hellespontum copiae traiecerunt.

The order of the march.

228.—Per alterum quidem e pontibus, pedester transibat exercitus et equitatus omnis: per alterum vero, iumenta cum impedimentis, et famulorum turba. Praecedebant decem millia Persarum, coronati omnes: quos sequebatur mixtus ex variis populis exercitus. Hi primo die. Postridie, primum equites, et illi qui lanceas ad terram conversas gestabant: etiam hi coronati: deinde equi sacri, et sacer currus: tum ipse Xerxes. Deinde reliquus exercitus. Narrant autem nonnulli auctores, postremum omnium transiisse regem.

A miraculous birth.

229.—Transvectis omnibus, et iter ulterius ingredientibus, ingens oblatum est prodigium, cuius rationem nullam Xerxes habuit, quamvis facilis fuisset eius interpretatio: equa enim leporem peperit. Facile autem illud erat in hunc modum interpretari; 'Xerxem ingenti quidem fastu et magnificentia exercitum suum ducturum esse in Graeciam, sed cum propriae vitae periculo eundem in locum rediturum.'

A new way of counting.

230.—Quum ad Dorisci planitiem pervenisset exercitus, Xerxi placuit reperire quot sibi essent milites. Quemnam militum

numerum populus quisque contulerit, accurate dicere nescio: neque enim ab ullo homine hoc memoratur. Numerus autem repertus est hoc modo. In unum locum congregarunt decem hominum millia, hisque (quam artissime fieri potuit) constipatis, circulum extrorsus circumduxerunt: deinde, dimissis his decem millibus, murum in circulo aedificarunt ea altitudine, ut umbilicum tangeret hominis. Quo facto, alios intra murum introire iusserunt, donec omnium numerum hoc modo reperissent.

The Immortals.

231.—Selectis decem millibus Persarum praefuit Hydarnes. Vocabantur autem hi Persae Immortales, hac de caussa: quando ex illorum numero aliquis defecit aut morte aut morbo coactus, alius in eius locum vir deligebatur, ut semper essent decem millia, nec plures nec pauciores. Praecipuo autem inter omnes cultu eminebant, et fortissimi erant. His, seorsim a ceteris militibus, cameli et iumenta commeatus vehebant.

A regiment armed with the lasso.

232.—Erant porro homines nomades, Sagartii nominati. Hi armis non utuntur, pugionibus exceptis. Utuntur vero funibus: quibus confisi in bellum proficiscuntur. Est autem pugnae genus horum hominum huius modi: quando cum hostibus congrediuntur, proiiciunt funes, quorum in fine sunt laquei. Quidquid prehendit funis, sive equus sit, sive homo, id ad se trahit eques: et ille laqueo implicatus interficitur.

The prediction of Apollo.

233.—Tum Xerxes in Graeciam profectus est. Quum audivissent Athenienses appropinquare Persas, legatos miserunt Delphos ad oraculum consulendum. His responsum est: 'Divinam Salamina multis exitio futuram: sed murum ligneum saluti fore.'

Quo audito responso, alii rebantur opus esse ligneo muro in arce, alii naves parandas esse arbitrabantur. Erat autem inter primores Themistocles, vir praeclarus. Is magnopere suadebat ut ad pugnam navalem sese compararent. Quae sententia vicit: itaque classis parata est.

War Councils of the Greeks.

234.—Tum vero Graeci deliberarunt qua ratione bellum administrarent. Vicit sententia, ut Thermopylarum fauces custodirentur: callem autem (per quem postea intercepti sunt Graeci ad Thermopylas), ne esse quidem noverant. Classem vero ad Artemisium promontorium mitti placuit. Fauces autem, ubi angustissimae sunt, non ultra quinquaginta pedes patent. Ab altero latere mons est praealtus, ab altero mare et paludes. Sunt autem in his faucibus aquae calidae, supra quas ara erecta est Herculi. Murus autem erat in faucibus, quem Graeci restituere constituerunt. Haec igitur loca idonea videbantur, itaque, quia putabant barbaros ibi nec magnis copiis hominum uti posse, nec equitatu, excipere ibidem impetum hostium statuerunt. Quumque certiores facti essent Persas in Thessalia esse, pedibus alii profecti sunt ad Thermopylas, alii mari ad Artemisium.

Apollo advises an offering to the winds.

235.—Dum ita Graeci, bifariam divisi, occurrere hosti maturant: interim Delphenses deum consuluerunt. Redditum est responsum, 'precibus votisque placandos esse ventos: hos enim magno Graeciae auxilio fore.' Deinde Delphenses ventis aram dedicarunt, sacrificiisque illos placarunt. Atque etiam nunc ex oraculi mandato ventos placant Delphenses.

The flying squadron of the Greeks.

236.—Erant in statione ad barbarorum motus servandos tres speculatoriae naves Graecorum, Troezoenia, Aeginensis, et Attica.

Visa Persarum classe, hae sese fugae mandarunt. Et Troezeniam quidem navem capiunt barbari. Quo facto unum ex nautis in proram navis ductum mactant, faustum omen sibi esse rati. Erat autem mactato huic nomen Leo. Aeginensis vero navis metum quendam incussit barbaris. Pugnabat enim in ea Pytheas quidam, qui fortissimum virum illo die se praestitit: is, capta navi sua, fortiter pugnans restitit, donec totus veluti in frusta erat concisus. Quem Persae, quum cadens non esset mortuus, sed spiraret adhuc, propter virtutem in vita servare statim conantes, vulnera viri curaverunt: eundemque, ad castra sua reversi, universo exercitui summa cum admiratione ostenderunt, et benigne eo usi sunt. Ita igitur duae ex illis navibus captae sunt: tertia vero triremis ad terram impacta est: et hac navi potiti sunt barbari; sed viri effugerunt, nam egressi in terram Athenas redierunt.

A white squall and its results.

237.—Postero die, ubi illuxit, quum serenum caelum fuisset, subito effervescente mari ingens coorta est procella. Hac calamitate barbarorum naves aiunt periisse non minus quadringentas. Tres enim continuos dies tempestas furebat: quarto die desiit. Qua clade cognita, valde gavisi sunt Graeci; vota et vinum Neptuno Servatori obtulerunt.

The Greeks make a stand at Thermopylae.

238.—Dum haec geruntur, Graeci Persas exspectabant ad Thermopylas. Erant Spartani trecenti, et socii ad quadringentos. His praeerat Leonidas rex Spartanorum. Interim Xerxes speculatorem misit, qui et numerum eorum, et quid facerent, exploraret. Ubi ad murum accessit, nonnullos e Graecis vidit: quorum alii gymnasticis exercitationibus se delectabant, alii comam pectebant. Reversus, Xerxi cuncta quae viderat renuntiavit.

Demaratus explains the conduct of the Greeks.

239.—Quibus auditis, Xerxes ad se Demaratum, transfugam ex Spartanis, vocavit, cognoscere ex eo cupiens quid esset quod facerent Spartani. Cui Demaratus, 'Adsunt hi viri,' inquit, 'nobiscum pugnaturi ut impediant quominus intremus, et ad hoc se comparant. Hic enim apud illos mos est: quando periculum adituri sunt, tunc capita comunt. Si hosce, et eos qui Spartae manent, subegeris: nullus alius hominum populus est, qui adversus te, Rex, manus tollere audeat. Nunc enim cum regno et populo inter Graecos praeclarissimo tibi pugnandum est et cum viris fortissimis.'

Xerxes attempts to carry the pass.

240.—Haec locutus Demaratus Xerxi non persuasit. Itaque quatuor rex intermisit dies, sperans Graecos fuga se recepturos. Quinto vero die iratus Medos adversus illos misit, dato mandato, ut vivos caperent et in conspectum suum adducerent. Ut vero in Graecos impetum fecere, multi ex iis ceciderunt: quibus alii successere: his eadem clades fuit: et manifestum erat cuilibet, maxime vero regi ipsi, multos quidem homines esse, sed paucos viros. His Persae successere quos Immortales rex vocabat. Qui consertis manibus eandem habuere sortem; nam in angustiis pugnabant ubi explicari multitudo non poterat, et hastis brevioribus quam Graecorum utebantur.

Repulse of the invaders.

241.—Postquam vero nullo modo vincere Persae potuerunt, postremo hi quoque retrogressi sunt. Spartani vero praeclari facti sunt ea pugna: nam et aliis rebus ostenderunt peritos sese pugnae, et fugientes, subitoque in persequentem hostem conversi, impetum fecere. Ita innumerabilis Persarum multitudo interfecta est. Dum haec geruntur, narrant Xerxem, quum spectandi

caussa haud procul abesset, ter de solio suo exsiluisse, metuentem scilicet exercitui suo. Per tres dies continuos acerrime pugnatum est; idem pugnae eventus erat.

Treachery.

242.—Ibi tum regem adit Ephialtes quidam transfuga, ingens ab illo praemium se relaturum sperans, indicavitque ei semitam per montes ad Thermopylas ferentem. Xerxes vehementer gavisus, sub noctem copias misit, quae Graecos circumvenirent. Graecis vero, qui ad Thermopylas erant, vates, inspectis victimis, praedixerat mortem prima luce iis instantem: tum nuntii dicunt, Persas circum montem semita illa venisse.

The devotion of the Spartans.

243.—Dicunt autem his nuntiatis Leonidam socios dimisisse, dicentem, 'se et Spartanos non decere stationem deserere, ad quam custodiendam missi essent.' Et ego quoque in hac sum sententia, Leonidam, quum minime promptos esse socios vidisset, abire illos iussisse; sibi autem, ut abiret, inhonestum iudicasse. Contra, si restaret, ingens eum gloria manebat, et Spartae fortuna non exstinguebatur. Etenim Spartanis, oraculum in primo huius belli initio consulentibus, responderat Pythia, 'aut eversum iri Spartam a barbaris, aut ipsorum regem periturum.'

The end of Leonidas.

244.—Tum Xerxes circumsessos undique Spartanos adortus est. Manipulorum duces, flagellis a tergo instantes, et unumquemque caedentes, suos concitabant. Itaque multi in mare delapsi perierunt, multi, alii ab aliis, vivi conculcati sunt: nec ulla ratio habebatur pereuntium. Hastae Graecorum iam tunc plerisque fractae erant, et gladiis Persas conficiebant. Ibi Leonidas for-

tissime pugnans interficitur; cuius super cadavere acre fuit certamen. Ita pugnatum est, donec advenere qui cum Ephialte erant. Tum gladiis sese defendentes, quibus gladii supererant, alii manibus dentibusque depugnantes, ad unum omnes interfecti sunt.

The bravest of the brave.

245.—Tales quum se praestiterint Spartani, fortissimus tamen ex his fuisse dicitur Dieneces: quem aiunt, priusquam cum Medis congrederentur, verbum bonum dixisse, quum Trachinium quendam audivisset dicentem, 'quando barbari tela emiserint, multitudine telorum solem obscuratum iri: tantam enim esse hostium multitudinem.' Hunc igitur, nil perterritum, sed spernentem Medorum multitudinem, respondisse aiunt, 'fausta omina nuntiare Trachinium; quandoquidem, sole telis obscurato, in umbra pugnaturi sint.' Haec et eiusdem generis alia dicta, Dienecem fortis animi monumenta reliquisse aiunt.

A bird in the hand worth two in the bush.

246.—Interim barbarorum naves Aphetas se contulerant; classis autem Graeca ad Artemisium erat. Duces Graeci de capessenda fuga deliberare coeperunt, metu perculsi. Quod ab illis agitari consilium ubi cognovere Euboeenses, Atheniensium duci persuaserunt Themistocli, proposita talentum triginta mercede, ea conditione, ut ibi manerent, et pugna decernerent. Et Themistocles, ut ibi manerent Graeci, hoc modo effecit. Eurybiadi, qui classi praeerat, quinque talentis oblatis, persuasit. Deinde, quum e reliquis solus Adimantus, Corinthiorum dux, obniteretur, hunc allocutus est: 'Non tu quidem nos deseres: tibi enim ego maiora munera dabo, quam missurus tibi esset rex, si socios desereres.' His dictis, quum in navem Adimanti tria misisset talenta, omnibus persuasit ut ibi manerent: ipse autem reliqua sibi retinuit.

Scyllias the diver.

247.—Tum vero barbari circa Euboeam partem navium miserunt, ut Graecos circumvenirent. Erat autem in barbarorum classe Scyllias quidam, omnium optimus urinator, qui iam pridem consilium inierat ad Graecos transfugiendi, nec vero ante hunc diem occasionem consilii exsequendi nactus erat. Is igitur quo modo nunc Aphetis ad Graecos pervenerit, dicere non possum. Narrant hunc hominem, postquam Aphetis mare subiisset, non prius emersisse quam ad Artemisium pervenisset, viam hanc octoginta stadiorum per mare emensum. Ubi eo pervenit, missas esse circa Euboeam naves indicavit.

The battle of Artemisium.

248.—Mox Graeci, quorum classis ad Artemisium erat, dato signo in barbaros impetum fecere. Diu utrinque eximia virtute pugnatum est. Tandem ancipiti Marte pugnantes ingruens nox diremit: Graeci quidem ad Artemisium reversi sunt: barbari vero Aphetas. Mox coorta tempestate magnum numerum navium barbari amiserunt. At, quibus mandatum erat ut circum Euboeam navigarent, his eadem nox fuit multo atrocior. Et tristis illis finis fuit; vento enim abreptae naves in saxa illisae sunt. Adeo omnia effecit Deus, ut Persarum copiae aequales fierent copiis Graecorum.

The contest renewed.

249.—Postridie eius diei Graecis venere tres et quinquaginta Atticae naves: quarum et adventus vires illorum animosque confirmavit, et allatus simul nuntius, 'Barbaros Euboeam circumnavigantes maxima coorta tempestate cunctos periisse.' Itaque eadem diei hora qua pridie, sublatis ancoris, in Persarum naves impetum fecerunt: quarum permultis corruptis, ingruente nocte ad

Artemisium reversi sunt. Accidit autem, ut eisdem diebus et navales hae pugnae, et pedestris ad Thermopylas committerentur.

The third day—retreat of the Greeks.

250.—Tertio vero die, barbarorum duces aegerrime ferentes, tam paucas naves adeo contumeliosa sibi damna inferre, veritique Xerxis iram, non amplius exspectarunt dum Graeci pugnae initium facerent: sed inter se cohortati in hostes impetum faciunt. Et in hac quidem navali pugna pares fere utrinque fuere. Dum haec geruntur, Graeci certiores facti sunt Leonidam cum exercitu periisse: itaque visum est Athenas reverti. Quum advesperasceret, summa celeritate usi, profecti sunt.

The Persians march on Delphi.

251.—Tum vero barbari Athenas contendere incipiunt; quorum alii ad Delphicam aedem adiere. Eius rei nuntius gravissimum Delphensibus horrorem iniecit: quo metu perculsi, oraculum de sacris pecuniis rebusque pretiosis consuluerunt, utrum in terras defoderent, an in aliam regionem asportarent. At vetuit Deus loco illas movere, dicens, 'se ipsum ad sua tutanda sufficere.' Quo audito responso, iam sibi ipsis Delphenses consuluerunt, maiorque pars eorum in fugam se converterunt.

Apollo defends his sanctuary.

252.—Ut vero appropinquarunt barbari; ibi tunc propheta, cui nomen erat Acerato, sacra arma vidit ante aedem proposita, ex penetralibus prolata, quae nulli hominum fas erat tangere. Quod prodigium Delphensibus, qui in urbe aderant, nuntiatum abiit. Mox accedentibus Persis, de caelo fulmina deciderunt, et de Parnasso monte abrupta duo cacumina ingenti cum fragore in eosdem cecidere, multosque oppresserunt, et ex aede clamor et ululatus exauditus est. Quibus rebus horror barbaris est

incussus: quos ubi fugam capessere Delphenses intellexerunt, descendentes de monte magnam stragem edidere. Memorant etiam duos armatos, maiores quam homines Persis institisse, et caedem fecisse.

Athens is abandoned.

253.—Quum Athenas rediissent naves, edictum est, 'quo quisque loco posset, eo liberos et familiam locaret in tuto.' Itaque properabant omnes mandatum exsequi. Dicunt Athenienses ingentem serpentem, arcis custodem versari in aede: nec vero id perhibent solum, sed etiam, tanquam re vera ibi versanti, menstrua sacra faciunt: est autem menstruum sacrificium, placenta melle condita. Haec placenta, quum superioribus temporibus semper consumpta fuisset, tunc intacta erat. Quod ubi significavit antistes, tanto magis urbem reliquerunt, quod dea etiam arcem deseruerat. Classis autem ad insulam Salamina manebat.

Xerxes occupies Athens.

254.—Interim advenit Xerxes cum exercitu, et vacuam deprehendit urbem. Erant autem Athenienses nonnulli qui in arcem se contulerant, et aditus vallis ligneis muniverant, arbitrati se sententiam oraculi reperisse, 'ligneum murum insuperabilem fore.' Diu vero hi Persis restabant. Tandem in arcem irrupere Persae omnesque, qui ibi erant, interfecerunt, aedemque spoliaverunt. Tum Xerxes, Athenis penitus potitus, equitem Susa misit qui rem bene gestam nuntiaret.

The restoration of Athens foretold.

255.—Postridie Xerxes, convocatis Atheniensibus exsulibus, mandavit, ut in arcem ascenderent, suoque ritu ibi sacra facerent. Cur autem huius rei fecerim mentionem, dicam. Est in arce aedes, in qua inest olea, Minervae sacra. Haec igitur olea cum

reliqua aede a barbaris cremata erat: altero vero ab incendio die, ut in aedem ascenderent exsules sacra facere iussi, surculum viderunt e stirpe enatum, cubiti fere longitudinem; unde apparebat, Athenas iterum potentes fore.

Deliberations of the Grecian admirals.

256.—Interim Graecorum duces ad Salamina concilium convocarunt. Multi autem censebant ad Isthmum esse pugnandum, non ad Salamina. Ibi tum Themistocles vehementer flagitabat, ut in eodem loco pugnarent. Quem Corinthius dux Adimantus ita allocutus est: 'Themistocles, in certaminibus qui ante tempus surgunt, flagris caeduntur.' Et ille ait: 'At, qui pone manent, non coronantur.' Bifariam divisae erant ducum sententiae: Eurybiades et Adimantus aiebant, 'ad Isthmum debere se pugnare.' Themistocles contra 'ibi manendum, et cum barbaris decertandum.'

Themistocles makes a battle inevitable.

257.—Ibi tunc Themistocles, clam concilio egressus, hominem misit in castra Persarum, edoctum quid dicere oporteret. Quo ubi pervenit, apud duces barbarorum haec verba fecit: 'Misit me dux Atheniensium clam reliquis Graecis: favet enim regis partibus: misit me autem qui vobis nuntiarem, fugam meditari exterritos Graecos. Nec inter se concordes sunt, nec amplius vobis resistent. Proinde eos aggredere, neve in fugam se recipere passus sis.' Quibus dictis statim discessit, Xerxes autem signum pugnae dedit.

The battle of Salamis.

258.—Itaque Graecas naves tanto impetu aggressi sunt barbari, ut ceteri Graeci omnes in puppim remigarent, et terrae admoverent naves. Unus Aminias Atheniensis, longius evectus, navem

hostilem rostro petiit. Quae navis quum alteri implicata haereret, nec inde abripi posset, tum demum ceteri, auxilio subeuntes Aminiae, pugnam commiserunt. Narrant apparuisse Graecis mulieris speciem, quae illos, ita ut universus exaudiret exercitus, ad fortiter pugnandum hortata sit; eamque prius increpuisse eos his verbis: 'Miseri, quousque in puppim remigabitis?' Diu pugnatum est. Maior vero pars hostilium navium in hac pugna periit.

The retreat of Xerxes.

259.—Xerxes vero, ubi acceptam vidit cladem, veritus ne quis Ionum consilium caperet pontes solvendi, fugam meditabatur. Itaque naves ad Hellespontum misit, quae pontes custodirent, ut in Asiam tutus redire posset. Inde, Mardonio cum exercitu magno in Thessalia relicto, ipse ad Hellespontum contendit. Multi ex exercitu, dum iter faciebant, morbo aut fame interempti sunt. Constat tamen domum tandem reversum esse Xerxem. Anno insequenti Mardonius a Graecis ad Plataeam devictus est. Tres igitur expeditiones barbarorum in Graeciam missae, magno cum detrimento repulsae sunt, et Graeci liberi evaserunt.

Artemisia, Queen of Caria.

260.—Iam, quod ad alios attinet, quo pacto singuli barbarorum aut Graecorum pugnaverint, dicere non possum; sed ad Artemisiam quod spectat haec gesta sunt. Postquam regia classis in fugam se recipere inceperat; per id tempus Artemisiae navem insequebatur navis Attica. Et illa, quum effugere non posset; quoniam ante eam multae aliae barbarorum naves erant, ipsius autem navis hostibus esset proxima, hoc consilium cepit. Quum enim instaret illi Attica navis, ipsa navem aliquam barbarorum impetu facto fregit. Tum Atticae navis nautae, ubi illam viderunt in navem hominum barbarorum facere impetum, rati Artemisiae navem esse Graecam, aut a barbaris ad Graecos trans-

fugere et ipsis auxilio esse, alias barbarorum naves petierunt. Itaque hoc primum illa commodum habuit, ut salva evaserit: eidem etiam contigit ut, quum damno affecisset regem, ob id ipsum factum maxime ab eodem laudaretur. Aiunt enim, quum pugnam Xerxes spectaret, conspexisse eum hanc navem in alteram impingentem: et quum aliquis ei dixisset, 'Vides, O rex, quam fortiter Artemisia pugnet!' quaesisse illum, 'Verene sit hoc Artemisiae factum?' cui illos respondisse, 'Se bene navem eius nosse.' Itaque Xerxes hoc dixisse fertur: 'Viri mihi facti sunt mulieres; mulieres vero, viri.'

Loyalty to the death.

261.—Narrant navem, quam Xerxes conscenderat, magnam procellam adortam esse. Ibi tunc, quum magis magisque fureret ventus et nimis magnum onus in nave esset, nam magnus numerus Persarum in ponte stabat, metu perculsus rex quaesivit e nautis, num salutis spes esset: cui nautae responderunt, 'Non alia spes est, o rex, nisi de numero multorum hominum pars in mare insiliat.' Quibus auditis nonnulli e Persis regem adoraverunt, et in mare se proiecere. Itaque navis onere liberata, salva in Asiam pervenit.

The rebuilding of the walls of Athens.

262.—Quum domum profectus esset Xerxes, moenia iterum urbi Athenienses circumdare inceperunt. Hoc aegre ferebant Lacedaemonii, quos dolo huius modi Themistocles decepit. Spartam legatus adivit, quumque eo pervenisset, aedificari moenia negavit. 'Quod si,' inquit, 'mihi credere nonvultis, delectos viros mittite, qui haec inspiciant, meque interim hic custodite.' Hoc fecerunt Lacedaemonii. Themistocles interim nuntium Athenas clam misit, suasitque ut legati Lacedaemonii, quocunque modo possent, Athenis custodirentur, donec moenia aedificata

essent, ipsumque recepissent. His dictis Athenienses paruerunt. Itaque Themistocle recepto, legatisque restitutis, Athenae invitis Lacedaemoniis iterum munitae sunt.

The courage of despair is to be feared.

263.—Graeci, post pugnam ad Salamina, ad Hellespontum contendere, et pontes solvere, ne effugerent Persae, constituerunt. Themistocles autem dixit, regem ita interceptum, iterum pugnaturum; et horrorem interdum efficere quod virtus non posset. Interim nuntium ad regem misit, qui eum certiorem faceret, pontes, nisi ocius aufugeret, solutum iri. Xerxes igitur fugere maturavit, et victoria penes Athenienses stetit.

XXI.—ANECDOTES.

Diligence rewarded.

264.—Antisthenes philosophus iuvenes monebat ut verbis suis studerent, sed paucissimi ex iis monito parebant. Tandem iratus omnes e conspectu abire iussit. Diogenes tamen philosophi verba audiendi magno studio captus, ad eum saepius veniebat, neque abire volebat. Itaque Antisthenes minatus est se caput eius pulsaturum; quumque vidisset, Diogenem minis non exterreri, hoc fecit.

Anaxagoras and Pericles.

265.—Anaxagoras philosophus illustris erat, non modo prae opibus et genere, sed etiam ob animum sapientem. Ut sese studiis omnino dederet, amicis opes suas tradidit, et Athenas adiit. Quo ubi pervenit, apud eum veniebat Pericles, vir praestanti indole et virtute, pauperibus idem liberalissimus. Accidit tamen ut, rebus publicis magnopere studens, Pericles Anaxagorae oblivisci videretur. Quod aegerrime ferens senex, veste obducto

